



Büchert. miscell. J. D.

C. F. R. Vetterlein, 1810.

Sammelband! (no.)

ccc

Rubr. XVIII, Nro. 25. E^c

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

1)
2)
3)
4)
5)
6)
7)
8)
9)
10)
11)
12)
13)
14)
15)
16)
17)
18)
19)
20)
21)
22)
23)
24)
25)
26)
27)
28)
29)
30)
31)
32)
33)
34)
35)
36)
37)
38)
39)
40)
41)
42)
43)
44)
45)
46)
47)
48)
49)
50)
51)
52)
53)
54)
55)
56)



DISSERTATIO PHILOLOGICO - THEOLOGICA,

DE

LIBRO COHELETH,

SIVE

ECCLESIASTE
SALOMONIS,

QVAM,

ANNVENTE DEO,

IN REGIA FRIDERICIANA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO REGIAE DOMVS PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,

PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDEN-
BVRGICO, ET RELIQUA,

PRAESIDE

IO. HEINRICO MICHAELIS,

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE ET SS. LL. PROF. P. O.

PRAECEPTORE AC HOSPITE SVO VENERANDO,

A. d. XXVI. IVNII MDCCCXVI.

Placido eruditorum examini submittet,

AVCTOR RESPONSVRVS

IO. IACOBVS Rambach/

Hala-Magdeburgicus,

SS. THEOL. ET PHILOL. CVLTOR,
hunc

VEN. ORD. THEOL. ADIVNCTVS.

EDITIO SECVND A VCTIOR.

HALAE MAGDEB. Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1726.

E

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO;
DOMINO
**CAROLO HILDE-
BRANDO,**
LIBERO BARONI
A CANSTEIN,

DYNASTAE IN CANSTEIN, SCHOENBERG, NEV-
KIRCH, BLUMBERG, EICHE, DALWIZ,
CETERA,

DOMINO ET PATRONO SVO CLEMENTI,
HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM,

NATAM INTER LABORES,
GRATIOSISSIMO IPSIVS ARBITRIO DEMANDATOS,
ANIMO SVBMISSO,

ET SVMMORVM BENEFICIORVM MEMORI,
CONSECRAT,

OMNEMQVE CVM DIVTVRNIORE VITA INCOLVMI-
TATEM,

ET CONATVVM,

AD LAETIORA REGNI CHRISTI INCREMENTA SPECTANTIVM,
BEATISSIMOS SVCCESSVS

TOTO PECTORE ADPRECATVS,
DICAT ET OFFERT

PERILLVSTRIS IPSIVS NOMINIS
DEVINCTISSIMVS CLIENS ET CVLTOR,
IOANNES IACOBVS *Rambach.*



11
בְּחֻקָּהּ

DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA,
DE
LIBRO COHELETH.

Σύνοψις.

Explicatur insitenti ratio §. I. Disquiritur de auctore libri Coheleth, ubi remotis aliorum opinionibus, qui partim Ezechiam §. II. partim Zorobabelem, partim Jehoschuum, Joiaade filium §. III. nominant, Auctor fuisse adseritur Salomo; quod quatuor argumentis, ex libro ipso desumptis, probatur §. IV. cui accedit quintum, a stilo libri accersitum §. V. Eundem vero, non Esaiam aut alios, etiam Scriptorem esse, aliquot rationibus firmatur §. VI. sapientissimumque Dei consilium in hoc eligendo scriptore ostenditur §. VII. Nomen Coheleth explicatur §. VIII. Et porro de tempore libri scripti differitur, ubi probatur scriptus esse a Salomone sive §. IX. eodemque per penitentiam ad Deum reuerso §. X. ubi simul Salomonem omnino respicuisse, refutata prius speciosissima aduersariorum obiectione §. XI. ex huius ipsius libri argumento demonstratur §. XII. Tum exposito obiecto libri personali §. XIII. eiusdemque subiecto §. XIV. icopus auctoris Et remotius ostenditur §. XV. Et postius susus definitur §. XVI. XVII. librique argumentum uberius explicatur, Et ostenditur, istum theologiae systema eo contineri, tum (1) dogmatica a) de Deo eiusque attributis, de mysterio sacrosanctae Trinitatis, speciatim de Christo §. XIII. b) de homine secundum statum innocentiae, peccati Et gratiae §. XIX. tum (2) theologiae moralis §. XX. Diuisio Et cohaerentia libri in tabella sistitur §. XXI. Modus proponendi §. XXII. Et stili character, ex pathologia explicandus, proponitur §. XXIII. Agitur de obsecrante libri, ex parte ficta, ex parte vera, sed sapientiae divinae conformi §. XXIV. Sistitur auctoritas libri canonica (1) oppugnata ab arrogantibus ingenis, ubi narrantur fata, quae liber subiit a) inter Iudeos §. XXV. b) inter Christianos, Et maxime a protervis criticis §. XXVI. (2) adiecta ex argumentis libro insitis §. XXVII. Recensetur Et refellitur abusus libri turpissimus Et multiplex (1) theoreticus, isque partim crassior, ubi loca ex c. 3, 18. seqq. Et c. 9. 12. meta

A 3

male detorta vindicantur §. XXVIII. partim subtilior, quo, pietatem vanitatis accensendam esse, ex hoc libro male adseritur §. XXIX. (2) practicus, rursus partim crassus, ubi loca c. 9, 7. seqq. c. 3, 4. vindicantur §. XXX. partim subtilis, ubi inter alia etiam locus c. 7, 16. 17. explicatur §. XXXI. Ostenditur genuinus libri vsus & incomparabilis eius utilitas §. XXXII. Conclusio §. XXXIII.

§. I.



Olent prudentiores homines, in peregrinas terras abituri, non solum mapas geographicas prius inspicere, inque illis regionum adeundarum magnitudinem, situm, fines, fluuios, cetera, oculis prælibare; verum etiam siue ex viuis siue ex mortuis magistris prouinciarum nomina eorumque origines, conditores urbium, môres & indolem incolarum, tum visu digniora naturæ artisque opera, denique pericula viarum, fyrtes, scopulos, paludes, réfertas prædonibus filuas, non sine magno futuri itineris commodo, præuia curiositate explorare. Nos, LECTOR, rem non inutilem facturos arbitramur, si hac dissertatione velut aliquam adpenderimus tabulam, ex qua illi, qui Salomonis ECCLESIASTEN, ex difficillimis Scripturarum Sacrarum libris non postremum, adituri sunt, perspecto eius nomine, conditore, scopo, argumento, filo, fatis, & quæ sunt reliqua, viam quodammodo edoceantur, qua, præteruectis infamibus abusum scopulis, ad veram mentique scriptoris sacri congruam intelligentiam penetrare queant. Equidem parum ingenii, & præter crebrius institutam huius libri lectionem, exigua admodum subsidia ad hunc laborem adferimus; at freti tamen summi numinis auxilio ita in hoc argumento versabimur, vt non facile quidquam eorum, quæ circa hunc librum monenda sunt, prætermittamus: quidquid nobis deest, ex aliorum, quos fideliter allegabimus, adparatu idem tamen suppleturi. Qua nostra qualicumque opera si illud per Dei gratiam obtinuerimus,

vt

vt plures hunc etiam librum diligentius legant, & qui scepticis aut prauis contra eum opinionibus imbuti sunt, reuerentius de eo iudicare discant: erit, quod diuinam laudemus benignitatem. DEVM igitur cœptis fauentem ex animo precati, missis ambagibus, ad rem ipsam accedimus.

§. II.

Ac primo quidem si *Auctorem* requirimus, quo Spiritus sanctus hoc in libro consignando usus est, noluit ille se ignorari, sed in ipsa libelli fronte nomen, genus ac dignitatem professus, se ipsum *Cobeleth*, *filium Davidis*, *regem Hierosolymitanum* adpellat, c. I, l. I. quæ verba, ne cui dubium relinquatur, ea SALOMONEM auctorem designare, interpretes Chaldaeus ita circumscripsit *קֹהֵלֶת הוּא שְׁלֹמֹה Cobeleth, qui est Salomo*. Verum quemadmodum fieri solet, vt, nisi omnes dubitandi viæ summa opera præstructæ fuerint, animus rerum nouarum studiofus facile occasionem aucupetur, diu credita nouis opinionibus obliterandi; ita nostro etiam libro contigit. Quum enim quidam non proprium Auctoris nomen, quod reliquis suis libris inscripsit, sed symbolicum aliquod expressum cernerent, ansam inde arripuerunt, librum aliis transferribendi. Et Talmudis quidem architecti quid de huius libri auctore sentiant, difficile est diiudicatu; siquidem adeo ambigue mentem, vel potius somnia sua, exponunt, vt Oedipus sit, qui, quid certo velint, certa & indubia coniectura adsequi possit. a) Vnde eos merito mittimus; ad alios ex ipso christianorum cœtu transituri, qui Salomoni hunc fœrum, tanto patre dignissimum, ereptum iuere.

a) Nimirum in *Baba Bathra* c. 3. f. 15. a. lin. 2. (Edit. Francof.) ita illi scribunt:
חֻקָּה וְזִיעָהוּ כָּתָבוּ יִשְׁעִיָּה מְשָׁלִי שִׁיר הַשִּׁירִים וְקֹהֵלֶת:

Hiskias & cæterus eius scripserant *Esaiam*, *Præuerbia*, *Canticum* & *Cobeleth*. Vbi hoc quidem certum est, quod *Ecclesiasten* regi *Ezechie* tribuant; illud vero dubium relinquatur, vtrum *Ezechiam* tantum huius libri scriptorom, an simul etiam auctorem & conditorem itaruant. Quod postremum, vtpote contextui illius loci conuenientius, PETRVS DAN. HVETIVS, in *demonstr. euang. propof. IV. p. 246. ed. Lips. anni MDCCXXII.* Talmudicis

tribuit, huiusque opinionis varias rationes per modum coniectura adferre. Idem tamen monet, non satis esse, habere quasdam similes vero rationes, quæ ostendant, *Ezechiam* libri conditorem esse posse; verum etiam *Salomonem* auctorem esse non posse, illud solide fuisse demonstrandum. Alibi tamen *Talmudici* eundem hunc librum simpliciter *Salomoni* adsignant, vt tract. *Sebabath* f. 30. a. & aliis locis.

§. III.

Hic vero loco omnium nobis occurrit **HUGO GROTIUS**, vir & meritis & doctrina magnus. At enimvero solet nunquam magnis ingeniis idem, quod vastis cæli corporibus euenire, vt suas eclipses patiantur, vimque ingenii lucidam, præiudicatarum quarundam opinionum interposito impediti, exferere non possint. Ille enim (vt perspicacissimus eius confutator **ABR. CALOVIUS** obseruat) quum semel in hanc ingressus esset sententiam, doctrinas de iudicio vniuersali atque vita æterna post *Esram* demum cœpisse explicatus tradidit; a) atque contra videret, tam aperta hoc libro testimonia de futuro iudicio contineri: non sufficere ratus illa in alienum sensum detorquere, b) librum etiam ipsum in posteriora tempora reiecit. Scilicet scriptum eum serius sub *Salomonis*, tanquam poenitentia ducti, nomine, atque *Zorobabelis* iussu a viris quibusdam in vnum corpus congestum esse existimat. c) Ne vero gratis id adfirmasse videatur, dicit, se eius rei argumentum habere multa huius libri vocabula, quæ, quum non alibi, nisi in *Daniele*, *Esra* & *Chaldæis* interpretibus inueniantur, recentiorem scriptorem satis prodant. d) Verum, vt alia multa taceamus, quæ ad istam sententiam profernendam pertinent, merito cum **ABR. CALOVIUS** simile exemplum poscimus, vbi Spiritus sanctus totos eiusmodi libros suppositicios, qui personati auctoris nomen gerunt & sermones continent, vnquam inspirarit, & quosnam tales in canonem *Scripturarum Sacrarum* retulerit? Nam si quis ad librum *Sapientie* prouocet, in quo *Salomo* subinde loquens inducitur, ille, vel ipso **GRO- TIO** iudice, in censu *Scriptorum Canonicorum* non habetur. Deinde quod attinet ad multa illa vocabula, quæ huic libro

intexta

intexta dicit, Chaldaica; non plura, quam quatuor, in notis Grotii potuit indagare Calouius, scil. סיר *olla* c. vii. 6. פשר *interpretatio*, c. viii. 1. גומץ *fouea* c. x. 8. אכיונה *concupiscentia* c. xii. 5. quorum primum pure Hebraicum est, & iam ab antiquissimo scriptore adhibitum, Exod. xvi. 3. postremum (ab אנה *voluit*) itidem natales Hebræos agnoscit; reliqua duo in codice sacro (at quantilla hæc pars sermonis Hebræi?) non amplius occurrunt, sed radicem suam cognatis linguis reliquerunt; quod quam vulgare sit, linguarum Orientalium periti abunde sciunt. e) Immo פשר pro vfitatore פרש Lev. xxiv. 12. Num. xv. 34. Esth. iv. 7. c. x. 2. non minus Hebraicum est, quam quum כשב & כבש *agnus, ouis*, סמלה & שלמה *vestis*, נגור & נגור *cet.* eadem significatione dicuntur. Vt adeo cum HERM. WITSIO f) merito exclamemus: *Mirum est, quam exiguus pretextus viris eruditis ad paradoxas opiniones sufficiat!* Ceterum a Grotiana sententia non adeo procul nuper recessit PHILOGVS celeberrimus, qui peculiari schediasmate, erudito ceterum, & qua priores pagellas, ad illustrandum libri argumentum perutili, eius auctorem adseruit *leboschuum*, Ioiade summi pontificis tempore Persarum *filium*, qui vt maiorem libro auctoritatem conciliaret, Salomonis, mortalium sapientissimi, personam per prosopopceiam induerit. Quam coniecturam non opus esse putamus pluribus refellere; g) inprimis quum eadem argumenta, quibus olim aduersus personatum GROTHII Salomonem Calouius vsus est, aduersus illam militent: unde illam doctissimo eius inuentori cum pluribus aliis *evghuaciv* audacioribus tanquam peculiarem relinquimus: sperantes, has & geminas illis opiniones vltro corruiuras, si *Salomonem* ipsum huius libri & auctorem & scriptorem esse probauerimus; id quod nuac erit breuiter demonstrandum.

a) vide præfamen HVG. GROTH in *libram Sapientie*.

b) vide adnotata GROTH ad c. xi. 9. c. xii. 17. & alibi.

c) Clarissime hanc mentem suam, exponit in adnot. ad c. xii. 11. quem
VER.

vertit: Auctores collectionum dati sunt a pastore vno. Atque in eum sic commentatur: *Qui hec colligerent, & sub persona Salomonis in vnum corpus congererent, mandatum habuere ab vno pastore, h. e. v. puto, Zorobabele &c.* In qua noua sententia refutanda & loco isto vindicando, prolixus est ABR. CALOVIUS in *bibl. illustr.* quo lectorem ablegamus. Conf. etiam LVD. ELLIES DV PIN *biblioth. auct. ecclesiast. diss. prelim. p. 31. seq.*

d) Quo etiam spectat canon criticus, quem IO. CLERICVS, in *arte crit. part. III. sect. II. c. VI. §. 12.* proponit his verbis: *Vocabula sequioris aui indicant scriptorem recentiorem.*

e) Recte PETR. DAN. HVETIVS *demonstr. euang. p. 247.* *Vt omitam per mihi leuem videri caussam, quare scriptorum sacrorum patria aut aetas vocentur in dubium, quum noue aliqua & inusitatae dictiones in iis occurrunt. Ac si nobis omnes puri Hebraisimi voces cognite sint, quas ex sola scripturae sacre lectione perspectas habere possumus, ac non sepe pro peregrinis habeamus, quae vernaculae fuerunt ac genitilicia. Quos enim inter Hebraeos vocabula fuisse putandum est, assiduo usu contrita ac penitus domestica, quae a sacris scriptoribus nusquam adhibita sunt. Quod si ex illis vnus aliquis voces ab aliis neglectas vsurpauit, - - - mericione idcirco scriptorem recentiorum dicemus, qui antiquus fuit?*

f) *miscell. sacr. tom. I. lib. I. c. XVIII. p. 227.*

g) Illud saltem non possumus non monere, non sufficiens esse argumentum pro adstruenda recentiori huius libri aetate *praefatorum accumulacionem* (vti in *בשכבר* c. II, 16, *מלפני* c. III, 14, &c) quam Vir doct. post Babylonicam demum captiuitatem vsitatam fuisse dicit. Extant enim huius rei vestigia iam in *Mose*, antiquissimo omnium scriptore, Gen. VI, 3, *בשגם*; in *Iona*, vatum, quos stritius ita vocamus, fere vetustissimo, Ion. 1, 7, *בשלמי*. Et quid istis vocibus *מלמטה*, *מלמטה*, *מלפני*, *מלעמת* &c. in S. Codice vsitatus? Ad argumentum, a dissimilitudine sili desumptum, §. v. respondebitur. Adde quae aduersus nouam illam sententiam disputat reuer. IO. GOTTL. CARPZOVIVS, in *introduc. ad libros canon. V. T. part. II. p. 205. seqq.*

§. IV.

Quod igitur I. in reliquis sacrarum Scripturarum libris facere solemus, vt, eorum auctores cognitari, non quidem ad titulos, nonnunquam ab aliis additos, sed ad eorumdem exordia respiciamus: idem hic merito a nobis obseruatur. Ita vero habet libri initium: *דברי קהלה בן זור מלך בירושלם Verba Cobeleth, filii Dauidis, regis in Ierusalem.* Quae verba genuinum auctorem licet notissimo & consueto nomine non dicant, aperte

aperte tamen indicant. Etenim dum se *filium Davidis, regem Hierosolymorum* appellat, quis, nisi præconceptis opinionibus impeditus, de alio, quam Salomone, vel cogitare potest? Quamvis enim David quam plurimos habuerit filios, nullus tamen ex eorum numero, diuina adgubernante providentia, paterni solii heres ex asse, præter hunc unum, factus est; vti rectissime etiam ABR. BEN EZRA ad h. l. obseruat. a) Præterea vero II. in reliquo libro ea *de se prædicat* Auctor, quæ, si a Salomone discefferis, in alium cadere possunt neminem. Fac enim tecum reputes illam magnificentiam operum, illam rerum omnium affluentiam, quæ c. II, 4. seqq. describitur, atque circumspice quotquot vnquam Hierosolymis præfuerunt Iudæ reges: nullum profecto reperies, cuius opes tantis sumptibus sustenturæ fuissent, præter Salomonem. Ille extruxit splendidissima ædificia; c. II, 4. coll. I Reg. VII, I. 2. seqq. c. IX, 1. 9. Ille vineas plantauit, generosissimis confitas vitibus; *ibid.* coll. Cant. VIII, I. I. Ille ornatissimos amœnissimosque hortos b) informauit, v. 5. coll. Cant. IV, 12. seqq. c. V, I. c. VI, I. 10. it. Ier. xxxix, 4. Ille erat, qui ad curandos tot equos, I Reg. IV, 26. ad fastilitium, ceteramque pompam, tot seruis ac ministris opus habebat, v. 7. coll. Neh. VII, 60. Ille erat, cuius aulæ cibatio I Reg. IV, 22. 23. tantam pecorum alendorum copiam requirebat, *ibid.* Ille, qui ex navigationibus Ophiricis I Reg. IX, 27. 28. c. X, 22. missis vndique muneribus I Reg. X, 10. 25. tributis gentium exterarum I Reg. IV, 21. c. IX, 21. aliisque reductibus, tantam auri argentique vim collegit, quantam vix animo concipere licet. *ibid.* v. 8. vid. I Reg. X, 27. II Par. IX, 20. 27. Ille erat eximius musices amator v. 8. coll. II Par. IX, II. Ille demum vere magnus v. 9. omnibusque & antecessoribus & successoribus maiestate, diuitiis, splendore, imperii magnitudine, gloria superior. II Par. I, 12. Hisce omnibus si III. addas illam iteratam toties *sapientiæ laudem*, qua se auctor excelluisse fatetur c. I, 16. c. II, 15. c. VII, 25. c. XII, 9. nouum inde nascitur argumentum, inter reliqua ferme validissimum, Salomonem hunc librum composuisse. Ista enim sapientiæ excellentioris gloria neque

Ezechia, neque vlli alii ex Iudæ regibus conuenit, sed, vel Deo ipso teste, 1 Reg. III 12. coll. c. IV, 29. 30. 31. Salomoni propria est, eiusdemque, vt H V E T I V S loquitur, velut *χαρὰν ἑγὼ ἔσθην ἰδοῦσα*. Accedit IV. quod Auctor c. XII, 9. se concinnasse scribat *parabolas* multas; quod cui quæso maiori iure, quam Salomoni, tribuetur, qui 1 Reg. IV, 32. ter mille parabolas locutus dicitur, quarum nobiliores partem Spiritus Sanctus in libro Prouerbiorum nobis adseruauit. Hæc singula si colligamus, recte dixisse comperietur HERM. WITSIVS. c) *Οποῦτος sane auctorem mortalium omnium mendacissimum esse, nisi Salomo sit. Quis enim præter eum filius Davidis & rex Hierosolymis fuit? Quis tantis fuit instructus opibus, ut grandia ista opera perficeret, quibus Auctor hic suo se indulsisse animo restatur? quis in tantam potentiam & sapientiam excreuit, ut præcesserit omnes, quotquot ante ipsum Hierosolymis fuerit? (addimus: quis in concinnandis parabolis adeo felix fuit?) Quæ omnia ita Salomoni propria sunt, ut in nullum alium transcribi queant.*

a) קהלת הוא שלמה כי לא היה מבני דוד משיח יהוה
מלך רק הוא לכורי *Cobeleth est Salomo; quia non fuit de filiis Davidis vnctus teboue rex, quam ille solus. Adde ipsissimum Spiritus sancti testimonium 1 Par. XXVIII, 5.*

b) Conf. 10. HENR. VRSINI *arborum bibl.* c. XLVIII. pagæ 609. seqq.

c) *miscell. sacr. tom. I. lib. I. c. XVIII. p. 227.*

§. V.

Denique ea, quæ attulimus, argumenta nouum ac singulare pondus accipient, si V. *scribendi genus*, quo Auctor *ῥεῖσιος* vitur, consideremus: quod certe ea præ se fert lineamenta, filii Salomonæ æmula, vt non possimus non vehementer mirari, quid viros doctos permouerit, vt hanc ipsam ob causam librum Salomoni abiudicarent, quod stilum ipsi non conuenire censuerunt. Qui enim præcipuus orationis Salomonæ character est, vt subinde acuta prouerbia, breuesque & arguentes sententias scite intertextat; idem hoc in libro frequen-

quentissime obseruatur. Vt pauca e multis exemplis feligamus, remittimus lectorem ad c. iv, 6. 12. c. v, 2 6. 9. c. vii, 1. 5. 8. 9. cet. c. ix, 4. 18. c. x, 1. 2. 8. 9. 15. 18. c. xi, 1. 3. 4. Immo vero, qui Ecclesiasten nostrum cum libro Proverbiorum Salomonis paullo curatius contulerit, is in quam plurimis sententiis amicam deprehendet concordiam, videbitque eadem sæpe, aut nihil aut parum immutatis verbis, utrobique recitari. Videatur Coh. i, 8. & Prou. xxvii, 20. Coh. ii, 14. & Prov. xvii, 24. Coh. ii, 26. & Prov. xiii, 22. c. xxviii, 8. Coh. iv, 6. & Prov. xv, 16. c. xvi, 8. c. xvii, 1. Coh. vii, 1. & Prov. xxii, 1. Coh. vii, 8. & Prov. xiv, 29. Coh. vii, 9. & Prov. xii, 16. Coh. ix, 15. & Prov. xxi, 22. c. xxiv, 5. Coh. x, 8. & Prov. xxvi, 27. Coh. x, 14. & Prov. x, 19. cet. Conferantur LAMB. DANÆI *harmonie seu tabula in proverbis & ecclesiasten*. Tanta est inter Ecclesiasten & Prouerbia in stilo pariter ac rebus harmonia, quæ post rationes ante allatas non obscuro argumento est, vtrumque librum ab eodem Auctore proficisci. Neque illud prætermittendum, quod obseruauit HVETIVS, verba Coh. vii, 20. *Non datur homo in terris, qui non peccet*, similiter in oratione Salomonis i Reg. viii, 46. inueniri. Equidem illud minime diffitemur, stylum in Ecclesiaste a Salomone adhibitum, præter ea, quæ ipsi cum aliis eiusdem scriptis communia sunt, nonnulla etiam peculiaria habere; sed illud, quantumcumque est, multum abest, ut fati euincat, librum hunc a Salomone non potuisse proficisci. Licet enim critici a) in diiudicandis scriptis dubiis plerumque stili atque orationis testimonio vtantur; iidem tamen non semper huic indicio fidendum esse monent: *diligenterque animaduertendum est, etiam in iisdem scriptoribus non eandem semper stili esse faciem: sed ut alia, ita ipsam quoque cum ætatibus mutari.* b) Quum igitur omnes fere, (vt infra §. ix. dicemus) in eo consentiant, *Ecclesiasten a Salomone sene esse conscriptum*; ecquis mirabitur, stylum quoque ex senili ætate paullo immutatam indolem traxisse, ita tamen vt pristinæ facultatis dicendi vestigia, vt ante ostensum, hinc inde adhuc hæserint expressa. c) Præterea ipsa argumen-

ti in libris Salomonis rerumque tractatarum diuersitas, diuersitatem quoque orationis suo quodam iure requirebat. Iam enim prouerbia ac parabolas dicit, quæ loquendi genere arguro ac sententioso acuendæ erant; iam carmina pangit, sacratissimaque canit mytheria, vbi stilus ad poëticam magnificentiam erat extollendus; iam denique de rerum vanitate numinisque reuerentia, quæ sapientiæ veræ primordium est, sanctè philosphatur, atque proinde orationis etiam habitum huic argumento, spiritu sapientiæ ductus, accommodat. Verum infra (§. xxiii.) de stile huius libri plura dicentur. Hæc eum modo in finem hoc loco a nobis adducta sunt, vt constet, stili, in hoc libro adhibiti, cum aliis scriptis Salomonæis similitudinem verum auctorem confirmare; dissimilitudinem vero nullam suppeditare rationem, cur liber ipsi eripiat.

a) vid. IO. CLERICI *art. crit. part. III. sect. II. c. VI. §. 1.*

b) Sunt verba IO. SCHEFFERT, *de silo, p. m. 10.*

c) Conf. ANDR. RIVETI *Criticum sacrum p. 93.* vbi, *Vigor*, inquit, *animi & in inuentione acumen, in dispositione prudentia, in elocutione nitore remitti quandoque aut languescere possunt per quotidianas molestias, aut ingravescentem ætatem; sed penitus extinguï & evanescere non possunt. Semper vestigia aliqua pristinae facultatis dicendi hinc inde impressa hærent.*

§. VI.

Hactenus igitur fatis, vt speramus, probatum a nobis est, SALOMONEM, quod ad *elocutionem* attinet, huius libri auctorem esse. Restat, vt cui eiusdem *scriptio* tribuenda sit, paucis videamus. Sunt enim inter Iudæos pariter & Christianos, qui, vtut res, nostro libro contentas, a Salomone profectas esse concedant, ab eodem tamen librum ipsum calamo consignatum, aut in calamum saltem dictatum esse, negant. Ex Iudæis, præter R. GEDALIAM, conditorem libri historici & chronologici, qui *Schalscheleth Hakkabbala a)* inscribitur, R. MOSEN KIMCHIVM nominasse sufficiat, qui censuit, Salomonem ore dumtaxat hæc sua scita enuntiasse, quæ dein plurimorum ore trita, & mente conseruata, post vnum vel alterum seculum collegerit *Esaias*, atque in gratiam posteritatis conscripserit; quem

quem laborem alii ab *Ezechia*, eiusque cœtu *Prov. xxv, 1.* susceptum putant. Quam sententiam admodum sane credulus sit, qui sibi nuda istorum magistrorum traditione persuaderi patitur. Ex Christianis præter *IO. MERCERVM* aliosque, *ANT. FAIVS b)* theologus Geneuensis, hosce sermones ex Salomonis ore a viris piis ac sapientibus, qui ipsius lateri continuo adhæserint, exceptos, & in publicum tandem editos putat; quo etiam *MICH. WALTHERVS c)* inclinatur, qui tamen rem, quam dubiam esse arbitratur, in medio relinquit. Verum rectius omnino *MART. GEIERVS*, *SEBAST. SCHMIDIVS* aliique statuunt, quod ipsa quoque Salomonis manu liber conscriptus, aut saltem ab ipso dictatus sit, uti epistolam ad Romanos Tertius quidam ex ore Pauli excepit, *Rom. xvi, 22.* Cui sententiæ eo libentius subscribimus, quod non contemnendis rationibus suffulcitur. Primo enim I. tum *inscriptionis* simplicitas, tum *subscriptionis*, quæ in epilogo continetur *c. xii, 9.* seqq. in doles, istud postulare videtur; beneque monet *SEB. SCHMIDIVS*, nullum dari in Scripturis librum, cuius exordium sit: *Verba N. vel N.* qui non ab eodem, quem hic titulus præ se ferat, auctore, scriptus sit; a quo constanti sacra Scripturæ vsu hic non putamus discedendum. Deinde II. quum Salomonem toties *d)* in prima persona audiamus loquentem, cur, quæsumus, dubitemus, eum libri esse scriptorem? Accedit III. *MART. GEIERO* iudice, apta rerum tractatarum connexio, & quod nos addimus, æquabilitas stili, quæ satis arguunt, librum non esse a rhapsodo aliquo, nêdum a pluribus, ut *HUGO GROTIUS* credit, concepitum. Certe *CICERO in Bruto*, (si profana licet componere sacris) quum nonnulli quandam Fannii orationem a pluribus compositam esse existimarent, *Non est, inquit, eiusmodi, ut a pluribus confusa videatur; vnus enim sonus est totius orationis, & idem stilius.* Et tandem IV. in ipso epilogo testatur Salomo, quidquid tum in hoc, tum in aliis suis libris scripserit, esse rectissimum, dum ait *c. xii, 10.* *Quæsuisti Coheleth inuenire verba beneplacii, וכתוב ישר רברי, אמת*

אמת & scripta est ab eo rectitudo & verba veritatis. Ultra quam ipsius Auctoris confessionem vix videmus, quid amplius possit desiderari.

- a) Ibi enim f. 66. b. fm. ait: **ישעיה כתב ספרו ומשלו ושיר וקהלה**
Esaias scripsit librum suum & Proverbia & Canticum & Cobeletib.
 b) *comment. in Cobelet. qui Genevæ, 1608. prodiit, pag. 3.*
 c) *in officina biblica, § DCCCCXXI, pag. 992.*
 d) *Obferuat ABR. CALOVIVS, in bibl. illustr. quod hoc fiat c. 1, quater c. 2. trigiesies c. 3. septies c. 4. septies c. 5. femel. c. 6. femel. c. 7. octies, c. 8. nouies, c. 9. sexies c. 10, bis.*

§. VII.

Talis igitur ac tantus Rex est, qui hunc librum conscripsit: Rex, quem DEVS prophético honore dignatus est: a) cui tantam concessit sapientiam, vt præstet nihil de ea, quam pauca dicere; b) Rex omnium sui aui potentissimus ac fortunatissimus. Atque hic mirare nobiscum, LECTOR, τῆν πολυποῦνλον θεῶν σοφίαν (Eph. iii, 10.) quam in eligendis librorum diuinorum scriptoribus ostendit. Sunt hic imbelles pastores fortissimis belli ducibus, regibus bubulci (Am. i, 1. c. vii, 14) indocti piscatores viris eruditis mixti: nihil prodest humanæ sapientiæ adparatus, discordemque studiis & vitæ genere chorum concors spiritus regit, vt & linguis & calamis amice conspirent. Ex his igitur omnibus quum eligendus esset aliquis *de rerum humanarum vanitate præco ac testis*, eum producit diuina sapientia, qui illam maxime omnium erat expertus, SALOMONEM regem. Atque profecto, vt pulchre ait LEONHARDVS COQVEVS c) Aurelianensis, *Si quis egenus, vel insipiens, vel nihil expertus delicias mundi ac voluptates, vana esse omnia persuadere vellet, non tantam fidem mereretur. At SALOMO, diuissimus regum, cui nihil eorum defuit, quorum summo studio homines capiuntur, gloria, fama, maiestas imperii, humana sapientia, quum prædicat hæc vana omnia, testimonium debet esse apud omnes magnæ auctoritatis.* Quod si igitur olitor, nonnunquam opportuna locutus, non adspernandus est, certe quum Rex adeo illustris ad dicendum prodit, truncus sit

fit (loquimur hic cum IO. BRENTIO ad c. 1, 1.) aut se quid trunco magis stupet, qui non arrectis auribus atque attento animo sibi censeat esse audiendum.

a) Prolixe hunc honorem Salomoni adferit ISAACVS ABARBANEL in *comment. ad 1 Reg. 11, 5. f. 204. seqq.* aduersus MAIMONIDEM, qui Salomonem ex prophetarum numero eximendum iudicauerat. vide eius disputationem latinis verbis exhibitam, a viro doctissimo, IO. MEYERO, in *annor. ad Seder Olam p. 648. seqq.* Eandem gloriam Iudæi etiam alibi ipsi tribuunt, vt in *Midrasch Cobeleb f. 82. a. & Targum Cob. 1, 1.* Idem ex Christianis facit, vt alios taceamus, HERM. WITSIVS *miscell. sacr. tom. 1. p. 220.* Ceterum Salomonem libros quoque suos per prophetiam scripserit, negat ABARBANEL; AVGVSTINVS adfirmat, & *Lib. xvii. de civ. Dei c. 20. prophetasse etiam*, inquit, *reperitur in suis, qui tres recepti sunt in auctoritatem canonicam.* Vterque vera dixit. Iudæus, si strictiore; Augustinus si latiore sensu intelligatur, quo vniversa Scriptura *πρωφητείας λόγος*, & *πρωφητεία* adpellatur 2 Petr. 1, 19. 20. coll. Act. x, 43. Eph. 11, 20. Verum enim vero quum laudatus Hipponensium Episcopus ex Ecclesiaste tanquam prophetiam allegat verba c. v, 17. *Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet* (ita enim illa recitat) eaque ex intentione Auctoris referenda statuit ad mensam, quam Sacerdos N. T. de corpore & sanguine suo instructurus sit, in eo vix habebit quemquam consentientem, qui scopum Ecclesiaste totumque orationis filum penitus inspexit. Eodem tamen HIERONYMVS etiam & PHILASTRIVS hæc 130. propendet. Adde, si placet, *dissert. nostram Ienæ, MDCCXX habitam, de Salomonis ad esum potumque exhortationibus, quas libro Cobeleb interseruit, p. 12.* Immo fuerunt, qui septem periodos noui testamenti c. xxi. huius libri deprehenderunt.

b) De sapientia Salomonis rursus admodum multus est IS. ABARBANEL *com. ad 1. Reg. 11, 12.* cuius verba, latinitate donata, rursus exhibet IOANNES MEYERVS, in *annor. ad Seder Olam p. 697.* Multo tamen ineptior sapientis Salom. laudator est IO. de PINEDA, qui in suo *de rebus Salomonis commentario libro 111.* ea de eius eruditione disputat, quæ, iudice vener. IO. FRANC. BVDDEO, in *philos. Hebr. p. 4.* lectori cordato gradum inueniunt atque rursim. Illud obseruatu dignum iudicamus, quod R. BECHAI, *comment. in Legem. f. 3. col. 1.* vbi *Μωσεν כל הנביאים* Dominum omnium prophetarum vocauerat, mox addat, Salomonem etiam ex isto oceano suam de rebus diuinis sapientiam hausisse, *ואין ספק כי שתוד התורה למר הכל* non est dubium, quin ex lege didicerit omnia, cf. *Simo. xxiv, 23. 1c. 4.* & Ven. Fra. sidis *dissert. de Iesaja Propheta §. xxi. p. 27.* cf. etiam PICI MIRANDVLANI *epist. a B. Cellario editæ p. 126.*

c) in notis ad AVGVSTINI *lib. xx. de ciuitate Dei, c. 111.*

§. VIII.

Antequam vero ab Auctore huius libri omnino digrediamur, paullisper adhuc nobis subsistendum putamus ad nomen COHELETH, quod ille sibi in hoc suo de vanitate rerum commentario imposuit, quod Græci ἐκκλησιασθῆν, Latini *pastor Ecclesiasten* interpretati sunt. Cuius proinde 1) *formam grammaticam* 2) *vim* atque 3) *impositionis rationem* indagare conabimur. Quod 1) ad *formam grammaticam* attinet, procul dubio est nomen aliquod symbolicum, ad similitudinem nominis proprii effectum, masculi nimirum generis, licet feminea instructum terminatione, cuius rei causas paullo post explicabimus. *Vis* 2) ac *significatio* a radice חק, & cognato nomine חק arcessenda est, quæ radix significat *conuocare, conuocandoque in cœtum congregare*: vt non modo perpetuus in sacro codice vsus, verum enata etiam inde in aliis linguis vocabula testantur; inter quas Græca suum καλέω, συγκαλέω, ἐκκλησία, ὄχλος, κλέζω, *clamo* &c. citra dubium huic radici debet. Ab hac igitur nomen *Cohelēth* vnanimi interpretum consensione a) *conuocandi colligendique* notionem trahit. Vtrum vero ista in hoc nomine vim *actiuam*, an *passiuam* habere debeat, de eo ab interpretibus in diuersas sententias itum est. Vim *passiuam* ex Iudeis ipsi tribuit ISAACVS ABARBANEL; b) ex Christianis THOMAS CARTHWRIGHTVS, Anglus in metaphrasi Ecclesiastæ, IO. COCCEIUS in commentario & lexico, & qui eum sequitur WILHELMVS MOMMA. c) Hisce nimirum nomen COHELETH ex forma *Pyal* deriuatum videtur, quæ coniugatio in verbis, quorum litera radicis media gutturalis est, in locum vocalis Kibbutz punctum Cholem substituit. Ex mente igitur istorum, quos nuncupauimus, Christianorum interpretum (ABARBANEL enim aliorum tendit) *Cohelēth* significabit ψυχὴν ἐπισυναγομένην, siue *animam rursus adgregatam ad cœtum & sinum veræ ecclesiæ*; ita vt hoc ipso ænigmatico nomine suum ad Deum & ecclesiam reditum Salomo subindicare voluerit. Quam quidem expositionem,

tionem, argumento libri ceterum satis congruam, non difficulter amplecteremur, si modo huius nominis radix de singulis, & non potius de integri alicuius coetus congregatione, perpetuo adhibita legeretur. Dimittimus igitur istam, CALO VIO iudice, subtiliorem, quam veriorem sententiam, atque cum aliis plerisque *ad iue* interpretamur, vt nomen Coheleth *congregatorem*, siue, habita terminationis femineæ ratione, *congregatricem* significet. Atque hic merito disquiritur, cur hoc nomen, quum virile sit, formam tamen & terminationem femineam habeat? Equidem dantur plura eiusmodi propria virorum nomina, vt *Sophereth* Ezr. II, 55. *Pochebeth* v. 57. *Misphereth* Neh. VII, 7. *Alemeth* I Par. VII, 8. verum quo minus nostrum ex assè in horum censum veniat, prohibet diuersa constructio. Quum enim istis nunquam verbum in sequiori genere iungatur; huic contra verbum & masculinum c. I, 2. 12. c. XII, 8. 9. 10. & femininum c. VII, 27. iunctum reperimus. Necessè igitur est, aliam subesse huius terminationis causam. Vbi dimissis aliorum ex parte ridiculis rationibus, d) cum doctissimis interpretibus, IO. MERCERO, MART. GEIERO, SEB. SCHMIDIO, aliisque arbitramur, rationem hac terminatione feminea haberi nominis חכמה hoc est, *Sapientia*, quæ per sepe ab ipsomet Salomone in libro Prouerborum sub schemate mulieris pingitur, tum ad innuendam suauem eius amabilemque venustatem, tum ad tenerimum ipsius erga suos adfectum elegantiam exprimendum. Hinc igitur fluxit *diuersa* nominis Coheleth *constructio*, vt illud iam verbo masculino per synthesin iungatur, habito ad *virum* siue *filium*, per quem hic sapientia loquitur, respectu e); iam cum verbo feminino componatur, oculo ad sapientiam intento, quæ, vt ait Augustinus, *semes per Salomonem cecinit*. Ceterum 3) *rationem*, cur sibi Salomo hoc nomen *dederit*, inuestigaturis, rursus diuersissimæ occurrunt Interpretum opiniones, quæ partim satis alienæ & falso superstructæ fundamento sunt, f) partim ita comparatæ, vt si cui allibuerint, nos quidem non simus repugaturi. g)

C

No-

Nobis simillimum vero videtur, Salomonem nomen *congregatoris* ideo sibi hoc in libro velut proprium tribuisse, quia eo sine totum librum conscripsit, ut homines, rerum caducarum amore a Deo dispersos, & in vanissimis rebus vagabundos, veluti ex fuga *recolligeret*, conuictosque de studiorum suorum inanitate ad suum rursus conditorem, eiusque sacram reuerentiam *congregaret*. Qua quidem in re IESVM CHRISTVM, æternam æterni patris sapientiam, cui congregatrici nomen vere ac proprie conuenit, insigni prorsus ratione figuravit. Conf. Prou. viii, 1, seqq. c. ix, 1. 4. Ef. lvi, 8. Matth. xxiii, 37. Luc. xi, 23. 31. Ioh. xi, 52.

a) Nisi forte *LVD. de DIEV* excipias, qui, ut fere semper aliquid noui adfert, ita huius etiam nominis significationem ex Syriacæ Linguae thesauris promittit: in qua קוּוּלָּוּ *Kubalto*, est *exclamatio, vociferatio*. Vnde exordium huius libri vertit: *Verba vocis exclamantis*, eo sensu, quo Ioannes dicitur *Vox clamantis* Ef. xl, 3.

b) In *comment. ad 1 Reg. iii, 12. fol. 208. a.* (edit. Lips.) ubi nomen Coheleth per קוּוּלָּוּ *collectum, congregatum* exponit, illudque ideo a Salomone adfuit existimat, quia suam sapientiam non ipse sua speculatione collegerit, sed quia manu diuina in ipso, patientis verius quam agentis vicem sustinente, fuerit *collecta*.

c) in *æcon. fæderum rom. i. p. 419.*

d) e. c. Quum quidam apud CORN. a *LAPIDE* putant, ideo nomen masculinum cum feminea terminatione Salomoni inditum, quia quum vir fuerit, defierit in feminam, mollis factus & effeminatus. Vel quum aliis *Coheleth, concionatrix* idem est ac elegans & pulcher concionator: quia femine in quouis genere soleant esse pulchriores; quas nugas SAL. GLASSIVS dudum refutauit in *philol. sacr. lib. iii. tr. i. can. xxi.*

e) Recte enim censuit HILLERVS, in *onomastico sacro*, nomen קוּוּלָּוּ vel קוּ in illis virorum nominibus, in femineam terminationem desinentibus, per ellipsin subintelligendum esse; quasi diceres *congregatrici sapientie filium*, vel *discipulum*: sicut etiam Schelomob, pro Schelomoth, *atissima pacis virum* vel *filium* notat; coll. 1 Par. xxii, 9.

f) Ut est sententia R. SALOMONIS, ABR. BEN EZRAE cet. qui Salomonem ideo sibi nomen a congregando fecisse putant, quia eius anima e *ntias in se scientias congregavit*; vel sec. H. GROTIUM, quia *varias philosphorum de summo bono opiniones in hoc libro collectas perscrinixerit*. Verum verbum קוּלָּוּ nunquam de collectione rerum, sed de congregatio-
ne hominum siue sacra, siue ciuili, siue etiam militari adhibetur. g) vi-

g) vide MIDRASCH COHELETH fol. 82. a. vbi ad quæstionem שהיו דבריו נאמרו בקהל respondetur: למה שמו קהלה coll. i Reg. viii, 1. SIXTVM SEN. *lib. i. p. 14. seq.* CORN. a LAPIDE, in *pref. comm.* AVG. PFEIFFERVM, in *dubis vexatis*, p. 657. cui impositionis ratio fuisse videtur *sapientia homines alliciens*. Similiter LVTHERVVS noster, & cum eo IO. FÖERSTERVS, in *lexico* & MART. GEIERVS ideo Salomonem hoc nomen in hoc libro adsumpsisse iudicant, quod verba libri publice dicta sint, in concione aliqua principum & aliorum, eo sine conuocata. Cui sententiæ etiam calculum suum adiciit vir doctissimus IO. GOTTLÖB CARPZOVIVS, in *introduc. ad libros canonicos V. T. part. II. p. 202.* qui nostram sententiam vocat *meditationem piam, sed longius arcessitam*. quam nos, saluo viri docti iudicio, ex intimis libri visceribus & integro eius scopo arcessitam putamus.

§. IX.

Auctore igitur eiusque nomine certius cognito, sequitur vt disquiramus, quo tempore liber sit consignatus. Atque inter Iudæos quidem dubio caret, eum inter reliqua Salomonis scripta postremum, adeoque ab eo *sene compositum* fuisse. Id quod in *Schir-Rabba*, a) *Seder Olam Rabba* b) alibique aperte profitentur. Neque vero illos gratis hoc adseruisse intelliget, quisquis perpenderit, quod tantam rerum omnium experientiam totus liber spiret, quanta non nisi in virum adultæ ætatis cadit; siquidem, vt PETRVS DANIEL HVETIVS c) loquitur, hominis longo rerum vsu subacti, expertique humanæ vitæ ac rerum mortalium vanitatem, & senilem prudentiam adepti, sensus vbique videas expressos. Adde illam artificiosissimam decrepitæ senectutis imaginem c. xii, 1. seqq. in qua Salomo ostendit, se non solum naturam totiusque corporis anatomen intimius habuisse perspectam, vt viri harum rerum peritissimi iudicant; d) sed etiam se ipsum huius ætatis incommoda & molestissimos morbos fuisse expertum. Licet enim non vltra sexagesimum e) annum vitæ terminum protulerit, quo tempore nonnullorum hominum senectus vegeta adhuc, & malis ibi descriptis vacua est; satis tamen docet experientia, eos, quorum iuuentus & alacrior ætas libidiniosior fuit ac voluptatibus supra modum dedita, & tempestiuus & calamitosus senescere.

a) Ibi enim fol. 4. col. 2. proponitur quaestio, quemnam librorum suorum primo loco scripserit Salomo? Vbi quum quidam Canticum, alii Proverbia nominaffent, R. IONAI subiungit: כל מורים שקהלת בסף אמרה omnes fatentur, quod librum Cobeleth postremo dixerit.

b) cap. 15. pag. 41. לעת זקנת שלמה כמור למיתתו שרתה עליו ורוח הקדש ואמר שלמו ספרים הללו משלי שיר השירים קהלת. i. e. ex versione Cl. IO. MEYERI: Quum Salomo ad senectutem vergeret prope mortem suam Spiritum sanctum habuit inhabitantem, & distulit istos libros Proverbia, Canticum & Ecclesiasten. Quae verba paucis immutatis etiam in Sebalsch, Hakkab. f. 15. a. lin. 14. & in Zemach David f. 13. leguntur.

c) in demonstr. euang. p. 247.

d) Vide celeb. GEORG. WOLFG. WEDELII exercitat. medico-philologicae cent. 1. dec. 111. exercit. 3. de morbis senum Salomonaeis.

e) IOSEPHVS quidem antiq. lib. viii. c. 111. p. 274. annos xciv. ei assignat. Verum hic error inde profluxit 1) quia Salomonem circa duodecimum aetatis annum regnum suscepisse credit, quod & Iudaei in Sebalsch. Hakkab. f. 15. a. in Seder Olam min. atque alibi statuunt, recte ab IS. A BARBANELE, qui ad minimum xx. annos ei regnare ingresso tribuendos probat, ad 1 Reg. 111. 7. 8. refutati, vnde & איש חכם vir sapiens illo tempore vocatur 1 Reg. 11, 6. 9. 2) quia XL. annos imperii, quos ipse regno Scriptura assignat 1 Reg. xi, 42. omnes a Salomone pio transactos putat, eisque totidem alios, quibus vt impius regnauerit, addit.

§. X.

Hoc igitur quum abunde constet, Ecclesiasten a Salomone sene compositum esse, pronius erit iudicare, *vrum ante, an post lapsum* a rege poenitente profectus sit? Hic enim grauiissime dissident interpretes. Sunt qui antelapsum confignatum putant; a) qui tamen vix aliter statuere potuerunt, siquidem Salomonem post lapsum respuisse negant. Quae prauidicata opinio etiam commentatores Gallicos b) abripuit, vt, licet probe viderint, apertissima signa hominis lapsi & poenitentis hoc in libro deprehendi, c) nihil tamen hic definire audeant. Sunt vero & contra alii tanto numero, vt recenseri a nobis non possint, qui librum hunc *post sanationem a Deo mentem*, tanquam publicam poenitentiae formulam, monendi alios

conf. de sublesta istorum monimentorum fide IO. HEINR. HOTTIN-
GERI *analecte* p. 322.

hæc f) Quæ vide in CHRIST. CHEMNITII *dissert. de salute Salom.*
Ienæ: habita 1655. & in IO. MEISNERI *curriculo vite Salomonis*
§. CXLVII. Adde ven. BVDDI *bissh. eccl. V. T. tom. II. p. 342.*

§. XI.

Verum antequam hoc etiam suscipiamus, opus erit de-
pellere telum aliquod, aduersus nostri Regis pœnitentiam ab
aduersariis magno nisu emissum, a) Illi enim, Itane? inqui-
unt, Salomo respuit, & nullum edidit pœnitentiæ signum?
Desiit idola colere, & ista tamen detestanda suæ impietatis mo-
nimenta salua & illæsa reliquit, ad posteros etiam transmitten-
da, vt per tria sæcula misero populo malorum illecebræ fue-
rint, donec a pio Iosia destruerentur? 2 Reg. xxiii, 13. 14.
Speciosa, fatemur, obiectio; & in qua tantam aduersarii fi-
duciam ponunt, quantam vix Græci olim in suo Achille. Vn-
de varie ad eam ab interpretibus respondetur. Plurimi Salo-
monem excusant, qui quum voluerit idola a se exstructa rur-
sus deturbare, non potuerit, tumultuante populo, ringente
vxorum alienigenarum turba, ministris rerum negligentibus,
inueterato errore, & auctoritate regia per senectutem valde
imminuta. Nos vero cum aliis non dubitamus adferere, Salo-
monem, perruptis omnibus hisce impedimentis, *σκάνδαλον* il-
lud omnino remouisse, suæque impietatis signa esse demoli-
tum, ab impiis deinde regibus ita identidem instaurata, vt
nomen primi conditoris retinuerint, quo populus magni Sa-
lomonis auctoritate eo facilius ad vanissimos deastrorum cul-
tus pelliceretur. Quid enim? Si demus etiam Salomonem
ipsum excelsa a se condita non euertisse: putamusne pios lu-
dæ reges, qui tanto studio profanos cultus abrogasse leguntur,
Assam 1 Reg. xv, 12. 13. *Iosaphatum* 11 Par. xix, 3. *Hiskiam*, c. xxxi, 1.
salua illa & intacta relicturos fuisse, ita vt a Iosia demum fuerint
abolenda? 11 Reg. xxiii, 13. Atqui erat hæc istorum tempo-
rum prauitas, vt quod pius aliquis princeps diruerat, filius ac
successor impius e ruinis rursus excitaret. Qua in re impro-
bus

bus Manasses reliquis omnibus malitiæ palmam præripuit
 II Par. xxxiii, 3. seqq. qui, quæ erat eius idolomania, citra dubi-
 um Salomonis etiam excelsa, diu ab ipsomet deiecta, restituit,
 ita vt Iosias rufus ea remouere debuerit. En vero ex huius
 ipsius Manassis historia exemplum prorsus παραλληλον, quod
 nostram sententiam confirmat. Iste enim Rex, quum grauis-
 simis vinculis ad saniozem mentem reuocaretur, tanto postea
 studio omnis generis idola sustulit, quanto ea antea iusserat fa-
 bricari, vid. II Par. xxxiii, 15. Atque nihilo secius eodem
 scripturæ loco, vbi Iosias excelsa, a Salomone prius exstructa,
 demolitus legitur, etiam aras idololatrias, a Manasse factas,
 dicitur deiecisse II Reg. xxiii, 12. Quod quomodo quæso fieri
 potuisset, nisi impius Manassis filius, Ammon, eas ex ruderibus
 reuocasset? conf. II Par. xxxiii, 22. Vides igitur, & Salo-
 monem ipsum excelsa sua diripere, & Iosiam etiam, post tria in-
 teriecta secula, eadem rufus delere potuisse.

a) vide CORN. a LAPIDE prolegomena ad comment. in hunc li-
 brum, *Mess. de Port Royal in Avertissement.*

§. XII.

Hoc igitur aduersariorum Achille cæso ac remoto, libe-
 rior aditus ad ipsum Ecclesiasten patebit demonstraturis, il-
 lum luculentissimum actæ a Salomone pœnitentiæ argumen-
 tum esse; quod si euistum dederimus, simul etiam librum post
 lapsum & pœnitentiam scriptum esse, erit indubie confirma-
 tum. Atque profecto totus fere liber, vel nobis tacentibus,
 loquitur, quod ab homine ad fallacissima vanitatum ludibria
 sancte nauseabundo scriptus sit, vt cœcus sit oporteat, qui
 cum ROB. BELLARMINO nulla pristini lapsus vestigia in eo
 deprehendat. Passim enim vitæ antea actæ inanissima studia,
 & plena vanitatis oblectamenta luet, & censorio incorrupto-
 que iudicio damnat. Reprehendit immodicum πολυπορευσις
 prurium c. I, 12. Taxat c. II, 1. seqq. carnis oculorumque cupi-
 ditatem ac fastum vitæ, Ioh. II, 16. cui se ultra modum immerse-
 rat; nec non ædificiorum luxum, satellitii pompam, volupta-

tes conuiuiorum & reliquum deliciarum adparatum: passimque ea se fecisse narrat; quæ ad legem diuinam exacta minime sint adprobanda. conf. e. c. c. 11, 8. cum Deut. XVII, 17. Neque vero suæ tantum vanitatis specimina copiose recenset; verum sincere etiam depingit animi sui faciem, ac tubulentissimum inter medias voluptates statum, quo effectum sit, vt subinde sensuum suorum oblectamenta, irritò licet conatu, permutarit, iamque a molesto nimix curiositatis studio c. 1, 13. 17. ad gaudia & vini largiorem vsu c. 11, 1. 3. iam inde rursus ad alias delectationes, ex operum pompa sperandas, transferit. Verum postquam longum deliciarum operumque suorum magnificorum catalogum texuisset c. 11. 1. 3. 4. sqq. tandem v. 11. 18. sqq. nullam se in iis animi quietem reperisse memorat; sed tanto potius adfectum ex vanis suis laboribus tædio, vt & opera sua & vitam ipsam oderit. Quæ certe viua pictura est animi a Deo, veræ quietis fonte, auersi, inque deuia & labyrinthos illapsi. Quinimo neque malorum suorum causas pœnitens Auctor tacet, quibusque retibus & vinculis captus sit, candide narrat. Nimirum quæ Adamum ex celso sapientiæ & integritatis fastigio deturbauerat, adfectata mali pariter ac boni notitia Gen. 3, 5. eadem sapientissimum quoque regem præcipitem dedit: siquidem ipsam etiam voluptatum victiorumque naturam experiendo intimius perspecturus, a) se se tali committebat viæ, in cuius infidis ac lubricis vestigiis non potest non humana fragilitas grauissime labi. Et vt primum parentem deceptæ feminæ astutia deceperat, ita & ipse infidiosum mulierum amorem suæ pernicipi fabricum fuisse, non obscure c. vii. 27. innuit, dum prauam concupiscentiam, homines Deo inuisos irretientem, sub schemate mulieris depingit. Nimirum, vt breuibus vim argumenti, ex hoc libro pro Salomonis ad Deum reditu formandi, constringamus: quum serua pœnitentia indiuisos comites habeat ingenuam peccatorum confessionem, & ardens studium, alios, qui iisdem scelerum laqueis adhuc constricti sunt, liberandi; hæc duo in
nostro

nostro Coheleth ita sunt expressa, vt neminem amplius de vera Auctoris respiscencia dubitare sinant. Neque enim solum peccatorum suorum vlcera publice tangit & ostendit, atque hanc solemnem vanitatum suarum ἐξομολόγησιν ecclesiae commendans, infamem illarum memoriam, enecta omni Φιλανθία, reddit immortalem; sed immixtis etiam frequenter ad timorem Dei vanitatumque neglectum & piam extremi iudicii recordationem, saluberrimis monitis, alios quoque secum Domino lucrifacere, atque ad eandem felicissimam eius communionem, qua ipse rursus fruebatur, pertrahere laudabili conatu adlaborat. Vere igitur ven. IO. HENR. MAIVS b) *Vbi-que*, inquit, & ex libri argumento, & ex argumenti tractatione, aperta penitentiae Salomonae indicia elucunt, vt haud abs re plerique interpretes iudicent, eam praecipue ob causam a rege hunc librum scriptum, & posteritati relictum esse, vt ad exemplum Dauidis, patris sui, post grauem lapsum serio penitentis, & penitentiae documentum publice Psalmo LI. edentis, ipse quoque monumentum simile statueret. c)

a) IO. AMOS COMENIVS de vno necessario (qui liber egregie cum nostri Ecclesiae argumento conuenit, & simili etiam adfectu scriptus est) c. III. §. VI. p. 75. Salomo omnia experiri sibi permisit bona & mala c. II. 3. (vbi vide GEIERI comm.) Christus nihil, nisi vt reprobo omni malo semel, soli bono adhaereret Es. VII. 15.

b) in oeconomia temporum V. T. p. 344.

c) Eleganter etiam reuer. IO. GOTTL. CARPZOVIVS, in introduct. ad libros canon. V. T. part. II. p. 212. *Seria & non fucata penitentiae fructus eo adigebat Salomonem, vt partim scandalo, longe lateque a se diffusio, ingenua praeteritorum confessione & lenociniorum mundi detestatione, quoad datum esset, mederetur, & qui multis ante nequitia extiterat magister, nunc publicum iisdem statueret penitentiae monumentum; partim suo vt periculo sapere doceret alios, qui seculi carnisque deliciis immergi, in suam prona exitium ruunt, quos, infausto voluptatum exitu ab illarum amplexu deterritos, ad meliorem secum frugem renouare, Deo lucrifacere, & ad bonorum summum, timorem ac cultum DEI, manu veluti ducere adlaborat, teste cap. XII. Hoc sine exitu regem, vt penitentiae agat praecone, eandemque fouet mentem, qua Dauid a lapsu resurgens Domino spondet: docebo prauaricatores vias tuas, vt peccatores ad TE reuertantur, Psal. LI. 15. Atque id ipsum potius pro vera OCCASIONE libri hujus scribendi habendum est, quam*
D
ea,

ea, quam narrat Chaldaeus interpres ad c. 1, 2. *Quum videret Salomo, rex Israel, per spiritum propheticum regnum Roboam filii sui divisum iri cum Ierobeam filia Nebat, Ierusalem etiam domumque sanctuarii destructam iri, & populum filiorum Israel exulaturum, dixit in verbo suo: Vanitas &c.*

§. XIII.

Nunc plus ultra progressuris duo expendenda veniunt magni ponderis momenta, quæ ad intelligendum facilius difficillimum librum quam maxime faciunt; vt nimirum inuestigemus, quænam sint *personæ*, ad quas hic Salomo sermonem dirigit, & quænam *res*, de quibus loquitur, quasque toties vanitatis accusat; siue (vt in scholis loquuntur) quodnam huius libri *obiectum* & *subiectum* sit constituendum? Quod ad prius attinet, non male vtique MART. GEIERS & SEB. SCHMIDIVS in prolegomenis adfirmant, librum hunc primo quidem scriptum esse Iudæis, quibus τὰ λόγια τῶ ἐσθ̄ concredita fuerint, Rom. III, 2. coll. v. 19. c. 1, 16. deinde vero ad omnes populos totamque ecclesiam, ex Israelitis gentibusque conflata, pertinere. Verumtamen attentior libri lectio viam nobis quodammodo pandit, ad hanc rem paullo distinctius percipiendam. Nimirum vtī perpetuo in ecclesia non solum homines pii, sed (malum!) simulatores etiam & impii, sæculi vanitatibus deditissimi, fuerunt: ita Spiritus sanctus, doctor vtique ὁ θεοσομώτατος, per Salomonem singula horum genera conuenientissime instruit. Homines *impios* ac turpia voluptatum mancipia, ita de rerum, quas amant ac magnificiunt, vanissima inanitate conuincere studet, vt, proscripto earum amore, cælestia ambire, Deumque, scelerum omnium feruerrimum vindicem, vereri discant. vide ex. gr. c. VII, 18. seqq. c. VIII, 8. I I. seqq. c. XI, 9. *Hypocritas*, ad quos, quatenus & ipsi impii sunt, eadem adhortamenta pertinent, præterea sapientissimo consilio monet, ne istis operibus, quæ laruam aliquam pietatis habent, religionem omnem contineri existiment, seque suo officio amplissime defunctos arbitrentur, si splendida, sine fide licet & pietate, cumulent sacrificia; si cul-

tus

tus externi cærimonias accurate obseruent; si votis, leui licet de causis reuocandis, sese obstringant, c. iv, 17. c. v, 1. seqq. c. viii, 11. seqq. sed Deum timeant v. 6. eiusque numen toto pectore venerentur. Pios vero animos, (quos c. xii, 12. blando *filiorum* nomine compellat) publicis maxime præfectos muneribus, atque ex rerum humanarum peruersitate ægros, passim suauissime solatur, & ad Deum reuocat, euentuum omnium gubernatorem, vultque, vt pulsus rugis, abiecta que nihil profutura mœstitia, animum inter casus omnes serenum & tranquillum seruent. Isti soli sunt (non Epicuri de grege porci) quibus toties inculcat, *edendum esse fruendumque bilaueris donis, a Deo concessis.* vid. c. ii, 24. c. iii, 12. 13. 22. c. v, 17. 18. c. vii, 14. c. viii, 15. & maxime c. ix, 7 seqq. vbi hanc ipsam suæ ad hilaritatem exhortationis causam subiungit: *nam Deus opera tua adprobauit.* Desinant igitur homines profani ista ad carnis licentiam trahere, atque tum demum hæc sibi dicta putent, quum non reclamante conscientia credere possunt, opera moresque suos Deo probari. a)

a) Vide pluribus hæc a me deducta in *diff. de Salomonis ad esum potumque adhortationibus.* Prorsus etiam hic nobiscum consentit, vir maxime reuerendus, IO. GOTTLIB CARPZOVIVS, *loc. cit.* p. 213. 214.

§. XIV.

Non minor vero in hoc libro cura habenda est *subiecti*, h. e. illarum rerum, de quibus Salomo hoc in libro disputat, easque vanas esse ostendit. Istæ vero minime sunt bonæ in se Dei creaturæ Gen. 1, 31. 1 Tim. iv, 4. sed humanum genus sibi relictum, eiusque vanissima studia & inanes labores. Atque hic merito laudanda est B. nostri LUTHERI industria (quem, vt in aliis, PHIL. MELANCHTHON sequitur) qui hanc rem primus fere animaduertit, istamque nocentissimam, vt vocat, opinionem, a pluribus Patrum, b) HIERONYMO, vitæ monasticæ admiratore, præeunte, acceptatam, scilicet Auctorem loqui de contemptu ipsarum creaturarum, subinde in commentario suo magna sibi diligentia refutandam sumsit. Digna sunt,

D. 2

funt, quæ hic legantur, verba beati viri. b) *Non damnantur hoc libro creaturæ, sed prauus affectus & cupiditas hominum, qui non sumus contenti presentibus istis creaturis Dei, & earum usu, sed semper anxii & solliciti accumulare diuitias, honores, gloriam, famam, quasi perpetuo hic victuri, fastidiis interim illis, quæ adsunt, & alia ex aliis semper adfectantes. Hæc enim est summa VANITAS & miseria, fraudare se usu bonorum presentium, & frustra adfigi de futuris. Hos, inquam, prauos affectus & conatus humanos damnat Salomo, non ipsas creaturas. Nam de usu creaturarum ipse dicit: nihil melius esse, nisi letari & comedere. Vbi omnino ipse sibi contradiceret, si res ipsas damnaret, ac non potius abusum rerum, qui in solis adfectibus sedet. Nimirum vtut reliquæ etiam res creatæ vanitati quodammodo propter hominem subiectæ sint, Rom. viii, 20. ac proinde perpetuis vicissitudinibus ac turbamentis expositæ, proprie tamen hic Salomoni res est cum genere humano, omnis vanitatis fonte, quatenus illud extra Deum eiusque societatem ac reuelationem, in statu naturæ, consideratur. Hæc res tantæ claritatis est, vt eius veritatem ex recentissimis etiam criticis nonnulli c) perpexerint; tantæque vtilitatis, vt multas ψευδεγμνείας suffocet, d) atque incredibile lumen toti libro infundat; licet a paucissimis interpretibus constanter ante oculos habeatur.*

a) Melius tamen hic sentit *ATHANASIVS*, opp. tom. ii. p. 97. Ἄπερ ἔλεγε, ματαιότης ματαιότητων, & τὴν κτίσιν διαδάλλων ἔφη, ἀλλ' ὅτι τὰ αἰώνια θεωγών, ἔλεγε τὴν τῶν προσκαίρων ἐπιθυμίαν εἶναι ματαίωτήν.

b) tom. iii. Ien. lat. fol. 232. a.

c) e. c. *IO. CLERICVS* in quæst. Hieronymianis. qu. xv. p. 504. §. 7. vbi *HIERONYMI* opinionem, creaturas ideo in hoc libro c. 1, 2. dici vanas, quia pro nibilo habende sint, si cum Deo comparentur, ita refutat: atqui totus hic liber & totum hoc caput ostendunt, minime agi de creaturis quibusuis, sed de laboribus occupationibusque *HOMINVM*, ad hanc vitam pertinentibus, vitæque adeo ipsa humana, quibus omnibus magna molestia admixta est, & imminet de propinquo finis, coll. v. 3. 4.

d) Vide exemplum scti §. xv. not. b) it. §. xxviii. in dicto c. iii, 18. seq. & §. xxix. tot. & cf. *GEIERVM* ad c. iv, a. c. ix, 4. & c. §. xv.

§. XV.

Accedimus iam ad *Scopum* Auctoris considerandum, quem utin omni genere scripti, ita hic vel maxime refert perpetuo oculis intueri. Vti enim scopo & consilio Auctoris non intellecto, aut prave definito, omnia Cimmeriis inuoluta tenebris videntur, & turpissimæ verborum in alienam mentem detorsioni aditus ubique patet: ita contra si finis eorum, quæ hoc libro dicuntur, altissime infixus animo sedet, maximæ difficultates, velut nebulæ oborto sole, dissipantur, verba clariora obscuriorum mentem illustrant, & Salomo sui ipsiusmet, optimus procul dubio & fidelissimus, euadit interpret. Ista igitur, de qua loquimur, S. Scriptoris intentio minime gentium eo spectat, vt dum illud *גם זה הכל*, *הכל הכל*, toties ingeminat, vanitatesque plenis indicibus recenset, homini profanum rerum omnium contemptum ingeneret, eumue eo perducatur, vt vel Epicureum seculi præsentis vsum, vel desperabulum vitæ sociam neglectum amplectatur. Diuinius aliquid hic liber spirat, quam CRATETIS alicujus effata aut SENECAE epistolæ, de Stoico contemptu diuitiarum. Multo minus id sibi proposuit vir sapientissimus, quod nonnulli opinantur, a) vt omnia quæ sciuntur, dubia, & incerta esse demonstret, adeoque Pyrrhonicam *ἀπαρτησίαν*, & perpetuam in rebus omnibus fluctuationem, velut publicus *Scepticisimi* professor doceat. Quam mentem qui Salomoni impingunt, verendum est, ne ex suo ingenio illum metiantur, & quod ipsi statuunt, Salomonem dixisse optent. b) Enimvero sanctior, & augustior scopus est, quem hic Spiritus sanctus per Salomonem intendit.

a) Vid. PETRI GASSENDI *exercitationes paradox.* lib. II. exerc. VI. p. 132. & *Observ. select.* tom. VIII. observ. XIII. p. 332. Salomonem vero ab hac labe purum fuisse ostendit præceptor ac socer ven. IOACH. LANGIVS, in *medic. mentis* p. 76. REINH. HEINR. ROLLIVS, in *dissert. Salomona Scepticisimo vindicatus*; nec non celeb. IO. ALB. FABRICIVS, in *codice pseudepigrapho V. T.* n. 204. & reu. CARPZOVIVS, loco sæpius laudato, p. 225. seqq. Eiusdem argumenti causâ in memoriam renocari meretur scriptum in academia nostra anno 1707. editum, sub tit. *Beantwortung der Theol. Facultæt zu Halle* p. 52-56.

b) Male in primis ab huius sententiæ patronis huc trahitur locus Coh. viii, 17. vbi homo dicitur non posse opus Dei inuenire. Nam 1) homo, vt §. xiv. monuimus, in hoc libro a Salomone consideratur vt vanus, in statu & fecundum vires naturæ, extra reuelationem diuinam; vbi verissimum, eum in operibus diuinis cæcutire. 2) hic non de veritatibus philosophicis sermo est, sed, vti verborum series docet, de opere gubernationis diuinæ, viarumque prouidentiae eius mirabilium inuestigatione (coll. huius cap. v. 14. & seq. c. ix, 1. seqq. vide etiam c. xi, 2. 3. 5.) in quibus ea, quam intellectus noster Deo debet, veneratio, non dubitationem, sed ignorantiam profiteri iubet; coll. Rom. xi, 33. Sir. XLIII, 32. seqq.

§. XVI.

Nimirum hoc agit Scriptor, a) diuino adflatu incitatus, vt I. per continuam quandam inductionem ostendat, inania esse hominum sibi relictorum studia, irritos conatus, vanos labores, quamdiu extra Dei gratiam & sine numinis ipsius reuerentia peragantur c. i, 2. ff. c. xii, 8, ac frustra solidam constantemque beatitatem in curiosa rerum multarum scientia c. i, 13. seqq. frustra in voluptatibus ac vano gaudio c. ii, 1-3, frustra denique in diuitiis, honoribus ac splendore rerum v. 4. seqq. ab hominibus quæri: siquidem hæc omnia turbarum ac tædii plena v. i, 17, 18. 22. 23. in morte relinquenda, v. 12. 21. multisque ac variis vicissitudinum ludibriis exposita sint c. ii, 1. seqq. ac proinde immortalẽ hominis animum, æternitati natum, non exsatiare & tranquillum præstare queant. Omnem igitur operam adhibet, vt II. hominem ex hisce labyrinthis ad suam conditorem reuocet, hilari, sincera ac diuite bonis actionibus fide venerandum, c. iii, 12. b) offensa aurea illa sereni animi tranquillitate, quæ quum in aliis rebus gratis queratur, in manu eius tanquam paratum ipsius cultoribus donum, sine inconstantiae metu fruendum, requiescat. ibid. v. 13. 14. c. ii, 24. c. v, 18. cer. Quum vero variis in vita humana casus occurrant, qui hominem ex summi illius boni possessione excutere posse videantur, III. omni studio in id incumbit, vt doceat pios animos inter omnes istas ærumnas, inter horrendam generis humani confusionem, euentuumque tristia spectacula, vbi iustis male, malis vt plurimum bene esse vident, pectus quietum &

ab

ab impatientia tumultibus liberum servare c. III, 16, 22. commendata supremo iudici scelerum omnium vindicta; ibid. v. 17. c. v, 7. c. VIII, II, 12. c. XII, 14. utque eos IV. instruat, quomodo in via regia incedere, euitatis utrumque extremis, debeant; ita ut neque inutilibus curis & de futuro sollicitudini se dedant; sed presentibus contenti, exporrecta & læta mente diuinis muneribus fruantur c. II, 24. c. III, 12, 13, 22. c. V, 17. c. IX, 7, 8, 9. neque etiam ab altera parte otio se ac luxuriæ permittant; sed pietate serio culta c. IX, 10. c. XI, 1. seqq. mentem recti consciam, veræ *εὐδωπίας* nutricem, satagant conseruare, memores in ipso etiam gaudiorum vsu diuini iudicii, quo facta & dicta omnia sint expendenda c. XI, 9. Vnde V. tum ea, quæ masculo pietatis cultori fugienda sint, passim exponit, interque ea maxime auariciam, insidiosum malum, omnisque prauitatis radicem I Tim. VI, 10. viuis coloribus depingit c. v, 9. seqq. c. VI, totum ea, quæ obseruanda sunt in omnibus vitæ generibus, diligenter inculcat; cuncta demum VI. in hanc veluti summam colligens: DEVM TIME ET EIVS PRAECEPTA SERVA, c. XII, 13. c) quibus verbis ipsemet sanctissimum libri scopum, ad quem, quæcumque in hoc libro secus sonare videntur, exigenda sunt, ante oculos lectorum figit, ab impiis auctoribus, mundum obruturis, serio dehortatus v. 12.

a) Distinctius rev. IO. GOTTL. CARPZOVIVS, in *introductione* part. II. p. 216. Scopus, inquit, alius respectu auctoris censendus, alius respectu lectorum. SVI ratione Salomo confessionem edere intendit vanitatum, cum iamno haecenus & ad nauseam degustatarum, & publicum statuere penitentiae monimentum, quo excitati alii isdem adhuc laqueis innexi, ad saniores redire mentem festinent. LECTOREM autem suum reddere cupit bestum, & a spuris mundi gaudiis, rebusque omnibus humanis, ad Deum, veræ beatitudinis fontem, ad sincerum in ipso gaudium, ac placidam in moderamine ac voluntate eius quietem reducere, eum quoque rebus huius seculi fluxis atque caducis, tranquille & sobrie frui, ut conscientia gaudeat serena, & letus in vita, paratusque inrepede mori, ut tunc veramque pietatem colat.

b) Ad phrasin *לעשות טוב* quæ in II. I. occurrit, recte adnotat SEB. SCHMIDIVS: Sunt, qui cum A. b. E. *to* facere bonum in vita sui exponunt de usurpatione boni incundi (ita & Luth.) aliud tamen requirit *Silv*

Seri-

Scripturae. Certe hic non dicitur *Facere sibi vel carni sua bonum; sed simpliciter facere bonum in vita sua, quod est bonum coram DEO, cf. Pl. xxxiv, 15, & xxxvii, 27. Cohel. vii, 20.* Egregie etiam MART. GEIERVS: *Describitur hac pbrasi totum hominis renati officium, ubi fides in paterna Dei gratia per filium exhibita semper exultans, strenue quoque evasget per bona opera.*

c) In Hebræo textu hic versus **D** maiusculo inchoatur, procul dubio, vt hoc velut asterisco notatus, eo attentius obseruetur, vid. *AVG. PFEIFFERII Crit. sacr. p. 196.* Nam alii aliter censent, e. c. *MAT. HILLERVS, de Kri p. 163.* Vide de re ipsa, si placet, programma summe reu. *D. PAVLI ANTONII de repetendis loc. theol. Martini Chemnitii p. 16. nec non Spicileg. de libris V. T. p. 12. 20. Edit. sec.*

§. XVII.

Vt breuibus omnia complectamur, hoc institutum, hic finis est sapientissimi *Scriptoris*, vt hominem, quem in vanitate sepulcrum deprehendit c. 1, 2 3. cet. ad *DEVM* reducat c. xii, 7. inque boni sui pastoris sinum, velut ouem ex longis erroribus reducem, deponat, quo dulcissima eius coniunctione, ex qua tranquillitas & animi perfectum gaudium fluit i. Ioh. I, 3. 4. & in qua vita æterna consistit v. 2. sine fine fruatur. Eant nunc homines maleuoli, & clament, fundamenta Sadduceismi aut Epicureismi hoc libro inculcari. *Toto libro a) nil nisi virtus docetur, non fucata illa, austera, tetrica, que ex sordibus & illuue, ac d'Qedivã τὸ σάματος laudem captat; sed ingenua, liberalis, hilaris, que, deprehensa rerum creaturarum inanitate, felicitatem suam querit & inuenit in conscientia tranquilla ac leuia, & usu bonorum ex fauore diuino profluentium: ita tamen, vt memor fluxe huius ac lubricæ vitæ, & imminentis iudicii, omnia cum reuerentia Numinis perogat.*

a) Sunt egregia verba *HERM. WITSIII miscell. sacr. tom. II. exerc. vi. p. 165.*

§. XVIII.

Vt vero de diuinissimo libri *argumento* amplius constet, conabimur pro iis, quas *DEVS* suppeditabit, viribus illud paulo vberius explicare, atque in gratiam eorum, quorum summa voluptas est, profundam sacræ *Scripturæ* sapientiam rima-

rimari, fufius ostendere, iustum aliquod caelestis veritatis systema breuissimo huius libri ambitu contineri. Quum enim tota rerum diuinarum scientia duabus praecipuis partibus, intime sibi inter innexis, contineatur, quarum altera *fidem* instruit, altera *vitam* ac mores format: utriusque thesauros nosster Ecclesiastes pandit. Quod ad eam attinet partem, quae fidei momenta tradit, illa rursus duobus capitibus, quorum vnum de DEO, alterum de *homine* agit, absolvitur. Ac de DEO quidem egregie admodum & magnifice sentit sapientissimus Auctor. Vt enim sacrosancto ipsius nomine יהוה nunquam in hoc libro vtratur, a) (perinde vti illud etiam in *Cantico* & libro *Esther* non comparet;) ea tamen passim de ipso tradit, vt facile videas, ingentem de summa eius & adoranda maiestate conuictionem praesto adfectu animo ipsius insedissee. Vnde ab eo describitur tanquam rerum omnium rector supremus c. v, 1. 8. potentissimus c. viii, 4. (sec. Schmid.) omniscius c. v, 5. vbique locorum praesens c. v, 8. imperuestigabilis in visis suis c. iii, 11, c. vii, 14. c. viii, 7. c. xi, 5. & extra fori humani cancellos positus c. vi, 10. tanquam impietatis osor & acerrimus hostis c. v, 3. 5. & longanimis quidem ac tardus ad iras c. viii, 11. sed iustissimus tamen, obseruato talionis iure, c. x, 8. 9. scelerum vltor c. viii, 13. ac uti rerum c. iii, 11. ac hominum omnium creator c. xii, 1. & gubernator prouidus: b) ita eorundem etiam summus iudex c. iii, 17. c. xii, 14. ceterum ab omni *μίσανθρονία* remotissimus, & tum omnium bonorum, tum pia etiam hilaritatis, quae cum ipsius timore coniuncta est, largitor c. ii, 24. c. iii, 13. c. v, 19. & adprobator c. ix, 7. recte facta in hoc pariter & futuro saeculo cumulatissime remuneratur c. viii, 12. Neque obscura vestigia de sacrosancto *Trinitatis* mysterio hinc inde obseruare licet. Quaesumus enim a te LECTOR, dum DEVM numero plurimum CREATORES vocat c. xii, 1. c) nonne innuit Patrem, Filium ac Spiritum sanctum in hominis creatione fuisse occupatos? coll. Gen. I, 26. Es. lii, 5. Pl. cxlix, 2. Iob. xxxv, 10. Dum vero, eandem

ὑποστάσεων pluralitatem indicaturus, Deum, supremum rerum omnium obseruatorem, גבוהים *excelsos* adpellat c. v, 7. ac deinceps verfu seq. ita pergit: ויחרון ארץ בכל הוא & *excellencia terræ* h. e. interprete SER. SCHMIDIO, supereminens totius terræ Dominus, *in omnibus* est הוא ille (quem sc. v. 7. altissimum in plurali, גבוהים, dixerat) quid aliud, quam illud Ioannæum, καὶ οἱ τρεῖς ἐν εἰσι 1 Ioh. v, 7. ipso verborum positu voluit adumbrare? cf. similes constructiones Ios. xxiv, 9. 2 Sam. vii, 23. & c. d) Insuper vero longe a veritate aberrat, quisquis CHRISTVM, totius Scripturæ nucleum, ab hoc libro abesse & profus exfulare putauerit. Nam, vt taceamus, quæ passim in hoc etiam libro de ista *sapientia* prædicat Auctor, quam Prov. viii, prolixius laudat; certe *finis capituli septimi* sublimius aliquid sonat, quam interpretes communiter opinantur. Duo enim tibi v. 25. se sibi profundius rimanda proposuisse dicit, *sapientiam* nimirum, eiusque contrarium, insanam *stultitiam*. Atque ad posterius quidem quod attinet, v. 26. ait, se in hoc suo indagandi studio inuenisse *mulierem, morre ipsa amarior*, sub cuius schemate hic stultam malitiam iisdem coloribus pingit, quibus eam Prov. ii, 16-19. c. v, 3, 4. seqq. coll. v. 22, 23. c. vi, 24. c. vii, 5. fin. c. ix, 13. seqq. e) olim delinearat. In *sapientia* vero v. 25. altiori indagine fatetur se inuenisse *hominem vnum* (Rom. v, 15. 17. 18. 19.) *ex millibus*, h. e. ex ingenti reliquorum hominum multitudine (Ps. xci, 7.) segregatum, coll. Iob. xxxiii, 23. Cant. v, 10. in quo mulierem istam, h. e. malitiam & ἀνομίαν, in reliquis omnibus deprehensam, non deprehenderit. Quo ænigmate prophætico CHRISTVM, immaculatum Dei agnū 1. Petr. i, 19. c. ii, 22. peccati omnis expertem, 11 Cor. v, 21. 1 Ioh. iii, 5. Hebr. iv, 15. & ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν κεχωρισμένον Hebr. vii, 25. amoenissime, licet, pro ratione istorum temporum, paulo obscurius, designat. f) Dum vero eundem c. xii, ii. vnum illum *pastorem* vocat, a quo domini congregationum, h. e. θεόπνευστοί ecclesiæ doctores, dati fuerint, coll. Ps. lxxviii, 12. Eph. iv, 11, hoc vni-

co;

co nomine, prophetis de *Christo* vaticinantibus familiarissimo, (cf. Ezech. xxxiv, 23 c. xxxvii, 24. Psal. xxiii, 1. &c. coll. Ioh. x, 12.) totum eius officium, regium scil. quo oves ducit ac tuetur, vid. Ioh. x, 3. 4. 28. *propheticum*, quo easdem docet, ibid. v. 16, 27, *sacerdotale*, quo sua eas vita redimit v. 12. 17. admirabili & vberissima breuitate exponit. Hæc hisque gemina si forte iis, qui *CHRISTVM* ex Scripturis V. T. tantum non proscriptum velint, minus arriserint, abundant illi per nos suo sensu, neque quum sint ægri oculis, aliis eorum sanitatem inuideant. Nos, quum in Prouerbiis & Cantico tam illustria Salomonis de *CHRISTO* testimonia legamus, merito nobis ducimus religioni, viam *MESSIAE* cognitionem ipsi abiudicare.

a) Quod *IO. MERCERVS* ideo forsan factum existimat, quia Salomo hunc librum non Israëlitis tantum, sed omnibus gentibus scripserit, vt eas a reum omnium mundanarum vanitate ad Deum auocaret, quibus nomen *Iehovab* non ita notum erat & familiare, ac Israëlitis. vid. *GVIL. SALDENI* oia theol. lib. iii. exerc. v. p. 492. Melius tamen forte hoc referendum est ad libertatem Spiritus sancti in Scriptura loquentis. Conf. *SCHMIDII* comment. ad Iobum c. xxxviii, 1.

b) Articulus de *providentia* tam clare & prolixè in libro *Coeleth* docetur, vt *PHIL. MELANTHON* opp. tom. ii. p. 938. totum librum fere nihil aliud continere dicat, quam adseuerationem de *providentia*, & refutationem profanarum cogitationum, quæ in humanis mentibus assiduus tumultus contra *providentiam* mouent.

c) *HVGGO GROTIVS* quidem aliquæ eius similes in hac locutione nihil *μωσηναϊδες* agnoscunt; sed vide *CALOVIVM* ad h. l. *RAYMVNDI MARTINI* pugionem fidei, part. i. dist. i. c. 3. f. 390. *PETRI ALLIX* Aufspruch der Jüdischen Kirche wider die Vnitarios c. ix. p. 92. 95. & ven. *IO. ANDR. DANZII* duas dissert. ad locum Gen. i, 26, &c.

d) Vide loca ista ordine recensita & obseruationibus illustrata, in *uener. soccei, IOACHIMI LANGII* causa Dei aduersus naturalismum, p. 323. seqq. & adde *IACOBI GVSSETHI*, viri doctissimi ac diligentissimi, commentar. lingue ebraeæ p. 516.

e) Locis hisce allegatis non generatim quamuis *mulierem impudicam* intelligi; sed sub istis parabolis *ἀνομίας μωσηναϊδες* & *prauam cupiditatem* describi, quæ hominem ad adulterium spirituale ac secessionem a Deo allicere solet, solidissime demonstrauit præceptor summe ven. *AVG. HERM. FRANCKIVS*, in fasciculo *programmatum*, num. vii. p. 129. seqq. 138. seqq. Dudum etiam *LXX* interpretes illud obseruarunt. Quum enim c, v, 2. men-

tio facta esset γυναικός Φάυλης, interpretes illi v. s. pergunt: τίς γὰρ ἀφροσύνης οἱ πόδες κατὰ γαστρὶν εἰς ἄδην.

f) Confer, si placet, quæ pluribus ad illum locum observauimus in *adnotationibus vberioribus ad hagiographa*, tom. II. p. 959. seq.

§. XIX.

Progredimur ad alteram credendorum partem, quæ ἀνωγειολογίαν continet. Hic igitur Salomo hominem in triplici suo *integritatis, peccati & gratiæ statu* oculis animisque lectorum subiicit. In *statu integritatis* eum ἄνθρωπος illibatum, *re-ctum*, purum sceleris, omnique ἀνομιᾶς carentem sistit, c. VII, 29. Verum mox & eodem quasi halitu deplorat, eum, hac sua sorte non contentum, extra Deum esse vagatum, atque *adfectasse inuentiones magnas* g) h. e. sollertiam notitiamque, ipsius creatoris scientiæ parem, coll. Gen. III, 7. ac proinde ex nobilissima sorte in miserissimam conditionem seruitutemque *peccati* incidisse. Quem calamitosissimum statum spirantibus velut coloribus ita depingit, vt vel ex hoc solo libro integrum eius peti systema queat. *Amissa* nimirum 1) quæ nobis antea donata erat, *diuina imagine*, eique coniuncta sapientia c. VII, 24. 23. (vid. s. CHMID. & conf. Job. IV, 21.) successit 2) exitiabilis illa mulier, quæ c. VII, 26. describitur (vid. §. XVIII) h. e. stultitia, prauitas ac *mala cupido*, quæ vinculis suis omnes homines confrinxit, virusque suum ita per vniuersum genus humanum c. VII, 20. diffudit, vt ex isto natiuo malo innumera prauæ actiones, inuidia & æmulatio c. IV, 4. auaritia c. IV, 8. oppressiones iniustissimæ c. IV, 1. & c. & tota malorum lerna profuxerit. Ipsæ 3) *vires naturales* tristi illa defestatione misere *truncate*, & in profundam ἀδυναμίαν c. I, 15. c. VII, 13. c. IX, 11. deiectæ sunt, ita vt *intellectus* perpetuis erroribus in eligendo vero bono circumagatur; *voluntas* turbarum plena sit, & modo auide concupita mox rursus damnet; *adfectus* denique *intestinis* bellis diffideant, perpetuisque tumultibus commoueantur. Quæ omnia Salomo in sua ipsius persona viuidissime pingit, vide in primis c. II. Accessit 4) horrenda in rebus hu-

manis

manis *confuso*, qua factum, vt tyranni opprimant innocentes, pii opprimantur c. III, 16. c. VIII, 10. 14. iustis saepe aduersa, impiis prospera omnia eueniant c. VIII, 10. 14. Vnde porro tot acerbissima in hoc libro lamenta a) de laboribus molestiae plenis, fructu castis c. I, 14, 15. c. II, 11. c. V, 15. & perpetua in rebus omnibus animi afflictione c. II, 17. 26. c. IV, 4. 6. c. VI, 9. &c. Quibus malis tandem s) velut cumulus *moris* additur c. IX, 3. iustissima peccatorum poena, quae non quidem animum immortalem in nihilum; at corpus tamen in puluerem redigit c. XII, 7. adeoque hominem, rerum creatarum antea nobilissimum, in aequalem cum brutis sortem praecipitat c. III, 20. Ita nimirum Spiritus sanctus infaustam illam conditionem, in quam nos peccatum detrusit, in hoc libro deformat. Non parcius vero *gratie* statum ostendit. Quum enim ex sua miseria nemo suis viribus emergere queat, ad Deum reuocantur exuti omnibus bonis homines, adque illius manum, bonis repletam c. II, 24. adliciuntur. Haec vero quum sua munera non nisi eis largiatur, qui boni sunt coram ipso c. II, 26. homines contra in ista sua abominanda conditione placere sanctissimo numini nequiquam possint: alius merito opuserat, qui ipse innocens nos Deo gratos redderet. Iste igitur est אדם הראשון *Adam*, seu homo ille vnus ex millibus (vid § XVIII.) cuius beneficio in multos exuberavit gratia Rom. V, 15. fons & auctor omnis *evangelis* Eph. I, 9. coll. Luc. II, 11. 14. aeterna patris sapientia. Illa mortales a Deo profugos rursus ad eundem *conuocat* (vnde & קהלך dicitur, cf. § VIII, fin.) Illa homini in tenebris facem praefert, eiusque oculos *collustrat*, Coh. VIII, 1. coll. Pf. XIX, 9. Illa per *καλυψεν οὐρανὸν* faciem eius duram *immutat*, ibid. eumque *peccati reatu* & *dominino* exsolutum, c. VII, 26. coll. Rom. VIII, 2. vitae spiritualis c. VI, 12. & beatissimae Dei *communionis* participem reddit. Ista vero omnia quum neque sine *mediis*, neque sine *ordine* fiant; etiam hic neutrum eorum videas praetermissum. Inter *media* commendatur diuinum verbum, ea instructum efficacitate, vt ossa ac medullas

penetret c. xii, 15. vnica fidei ac vitæ regula v. 12. obsequente animo tenenda v. 13. *Ordo*, ad gratiæ statum peruenturis præscriptus, est respiscentia, non ad feram vsque aetatem protrahenda c. xii, 1. quæ in animo auersionem a vanis mundi gaudiis c. ii, 2. & λόγῳ κατὰ Θεὸν, menti vtilissimam, producit c. vii, 2. sqq. coll. 2 Cor. vii, 10. viuæque & mascula fide, quæ in gratia Dei cum hilari & læta fiducia, sub ipsa etiam cruce, quiescit c. viii, 14. 15. & innumeros bonos fructus c. ix, 10. suæ virtutis testes, edit, absoluitur.

a) cf. summe vener. abbatis IOACH. IVSTI BREITHAVPTI *institur. theol. tom. I. p. 214.*

b) Vide sis ea in classis ex parte digesta in IO. AM. COMENII libello *de vno necessario c. I. §. 3.*

§. XX.

Tanta abundantia, tamque suauis cum tota fidei analogia contentu, potissima fidei capita in hoc libro a Spiritu sancto exhibentur, eorumdemque perpetuus in vitam piam influxus ostenditur, immixtis passim saluberrimis *monitis*, quæ ad *mores* formandos pertinent. Quæ vt rursus quodammodo in ordinem colligamus, sapientissime instruunt hominem, quo se modo *erga Deum*, *erga alios*, & *erga denique semet ipsum* gere debet. *Erga Deum* vult ipsum Salomo *εὐσεβῶς* viuere, plenum tanti numinis reuerentia, & præceptis eius ex animo obedientem c. xii, 13. vnde passim *timorem Dei* commendat c. iiii, 14. c. vii, 19. c. viii, 12. &c. qui vero latissimè patet, suoque ambitu omnia, quæ homo Deo debet, pietatis officia comprehendit. Respectu *aliorum* format hominem æquitatis amantem, & erga quæuis hominum genera rectè adfectum; ita vt superioribus & magistratui obedientiam & honorem debitum præstet c. viii, 2. c. x, 4. 20. sacrorum antistites reuerenter habeat c. v, 4. erga pares & inferiores se facilem, mansuetum, nec nimis rigidum iuris exactorem c. vii, 16. 21. erga pauperes liberalem c. xi, 1. erga omnes vero benignum, mitem & humanum præbeat. Denique erga *seipsum* eo iubet esse animo, vt ab

ab iniqua illa σώματος ἀφειδία Col. II, 23. qua corpus ex fordida tenacitate necessariis huius vitæ subsidiis defraudatur c. IV, 8. c. VI, 2. 3. alienus, serena & præsentis mente præsentibus fruatur, & retricis ac inutilibus curis abiectis, sapientissimæ Dei providentiæ se ac sua omnia tranquillus committat, vid. c. II, 24. c. III, 12. 13. 22. c. V, 17. &c. De reliquo in omni vita sit erectus, καλῶν ἔργων ζηλωτής c. IX, 10. (Tit. II, 14.) nunquam segnis c. X, 18. sed alacer, & omnis occasionis recte agendi obseruantissimus c. XI, 2. 3. (Gal. VI, 10.) circumspectus porro & diligens sui pedis c. IV, 17. oris c. V, 1. sqq. verborumque c. X, 12. 14. & actionum omnium custos: in prosperis pie hilaris, ad tristitia subinde paratus c. VII, 14. inq; ancipitibus & asperis fatis patiens & quietus c. VII, 8. 14. omnigenæ deniq; virtutis sedulus cultor, & qui finis totius Scripturæ est, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρησμένος II Tim. III, 17. Tam sanctus & ad pietatem animo ingenerandam torus factus est huius libri neruus, adeo vt cum eo comparata fordeant, quæcumque Socrates præclara docuit, Seneca scripsit; quæcumque tum in Lycei ambulacris, tum in Academiæ & Stoæ spaciis, tum in Epicuri hortis, veneni, quam salubrium herbarum, feracioribus, inueniuntur.

§. XXI.

Ista vero omnia, quæ aureo hoc libro hætenus diximus contineri, ita a Salomone proponuntur, vt doctissimi etiam interpretes *de nexu totius libri*, & accurata partium *coherentia* inuenienda, fere desperarint. Verum vtut *heroica* magis, quam adstricta minutissimis logicorum regulis *methodo* librum compositum esse facile largiamur: absit tamen, vt eum confusum aliquod chaos, in quo summa imis mixta sint, existimemus. Etenim oppido concinnus ordo, quamuis inuentu difficilior, toto libro inuenitur; quem si non statim cuius perspicere licet, modestius vtrique cum MART. GEIERO culpam in humilia nostra ingenia, quæ tanti regis acumen non adsequuntur, quam in auctorem ipsum transferri opinamur. Certe SEB. SCHMIDIVS, vir sagacissimi ingenii, & tenebris exe-

geticis

geticis dispellendis natus, eam nobis sistit huius libri analysin, in qua, donec concinnior detur, acquiescere possumus. *a*) Nimirum *quinque* huius libri *partes* constituit, quas in sequentem tabellam, paucis hinc inde mutatis, redigere placet.

I. *Titulus* libri breuissimus c. I, 1.

II. *Tractatio de summo bono*, vbi

a) *Remotio summi boni falsi*, in rebus huius mundi positi extra Deum; cuius falsitas

a) adseritur v. 2.

β) probatur ex vanitate rerum *b*) v. 3, seqq. & maxime affectionum ac laborum humanorum, quorum vanitas duplex est:

(1) imperfectæ in se bonitatis; quæ prolixius exemplo ipsius Salomonis proponitur c. I, 14 sqq. - c. II, 23.

(2) impossibilis sine Deo operationis & absolutionis, c. II, 24. - c. III, 11.

β) *Positio summi boni veri*, cuius exponitur

a) definitio, qua consistit

(1) in hilari mentis serenitate, &

(2) in pietate vera, c. III, 12.

β) auctor, DEVS & summa eius bonitas, v. 13.

γ) adiunctum, constantia, v. 14.

δ) medium consequendi & conseruandi, timor Dei, ibid.

III. *Monstratio sani iudicii de variis in vita humana casibus*, quibus offendi homo, & ab amplexu expositi veri summi boni absterri potest, quorum inprimis *sex* sunt.

1) Duratio rerum humanarum in eodem statu, quo diu fuerunt, quo nocens innocentem persecutus est, nec Deus statim vindicauit v. 15, vbi & simul eius solutio.

2) Iniustitia in locis iudicii regnans v. 16. 17.

3) Fatorum, quæ hominibus & bestiis in hoc mundo obtingunt, paritas v. 18. fin.

4) Oppressorum sine solatio desitutio c. IV, 1. sqq.

5) Hominum in hoc mundo emergentium ex euentibus

&

& virtutibus gloria v. 4. fqq. vnde summum bonum in hoc mundo consistere videri posset.

- 6) Cælibatus hominis perpetuus. Ex quo hoc officulum: Homo modo cælebs maneat, cetera poterit esse felicissimus. E. datur summum bonum in hoc mundo; v. 7. fqq.

IV. *Informatio de cultu Dei & beata vita, quæ XIV. doctrinis absolvitur.*

- 1) Deum ex animo cole, c. iv, 17.
- 2) Πολυλογίαν præcipitatum vita, c. v, 1. 2.
- 3) Vota sine procrastinatione redde, v. 3 - 6.
- 4) A peccatorum societate tibi caue, v. 7. 8.
- 5) Avaritiam detestare v. 9. fin. & c. vi. tot.
- 6) Mortem diligenter meditare, c. vii, 1. fqq.
- 7) Abstine ab impatientia, vbi
 - (a) præceptum ipsum, v. 9. 10. 14.
 - (b) præcepti rationes, v. 8. 9. 10. 11 - 14.
 - (c) contrarii fundamenti destructio, v. 15. 16. 17. 20. 23. fqq.
 - (d) remediorum aduersus impatientiam monstratio, v. 18. 19. 21. 22.
- 8) Mandata summi regis in cælo, serua c. viii, 2. fqq.
- 9) Curiosam diuinæ gubernationis scrutationem omitte, c. viii, 16 - c. ix, 10.
- 10) Sapientiam magni æstima & sectare, c. ix, 11. fqq.
- 11) Fuge pigritiam & luxum, c. x, 16. fqq.
- 12) Superioribus caue maledicas, c. x, 20.
- 13) Eleemosynas erogare memento, c. xi, 1. fqq.
- 14) Mature pietati stude, c. xi, 6. fqq.

V. Epilogus totius libri c. xii, 8. fqq. & dictorum ἀνακεφαλαιώσις v. 13. 14.

a) Analyfin etiam haud coactam exhibet doctissimus SALOMO TIL-LIVS, in opere *analytico*, tom. II. p. 51. ex cuius mente Salomo hunc ordinem seruat, vt I. *vanitatem* omnium rerum mundanarum, ad earumdem contentum excitandum, amplificet. c. 1. 2. 3. 4. II. *Consilium* de doloribus ex vani-

vanitate rerum oriundis, fugiendis aut emolliendis subiiciat, c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & III. officia probitatis vltimo loco commendat. c. 11. 12.

b) Malumus hic cum *MART. GEIERO* statuere, terræ, solis, venti seu aeris & aquæ, ideo hic fieri mentionem, non tam vt eorum vanitas exponatur, quam vt ostendatur, melioris ea esse conditionis, quod ad ipsorum durationem attinet, quam ipsum hominem, tantæ ob peccata vanitati subiectum, vt generatio semel abiens nunquam redeat. v. 4. Ita & *IO. CLEERICVS*, in *quest. Hieron. pag. 507.* vbi, *Constantia*, inquit, *solis velut morientis & renascentis opponitur hominum conditioni, qui semel mortui ad hanc vitam nunquam redeunt.*

§. XXII.

Modus, quo hæc omnia proponit diuinus Scriptor, maxima est ex parte *paræneticus*, qui vt omnibus ferme veteribus communis fuit, ita optimus etiam & naturæ conuenientissimus a viris doctis merito iudicatur. In priori libri parte practicam vbiq; ducens; neque peregrina exempla ad positionem suam declarandam ex historiarum monumentis conquirat, sed suo vnus, tristi quamlibet & luctuoso, euidentissimo tamen exemplo, eandem confirmat. Istud fortassis aliqua eget disquisitione, vtrum omnia ex animi sui sententia proferat, an aliorum nonnunquam recitet opiniones? Sunt enim ex numero Scripturæ interpretum non pauci, a) qui, quum aliqua in hoc libro offendunt, quæ, a suo cum reliquis nexu diuisa, profanum aliquid sonare videntur, (vt c. 11, 19. seqq. c. 1x, 4 10. cet.) ea a Salomone proferri putant ex stulta Epicureorum hominum sententia, qui existimantes totum hominem in morte, vt cetera animantia, interire, pro summa beatitate ducunt, sese ingurgitare voluptatibus, & liberrime genio indulgere; optime huius libri honori consultum rati, si, quæ ipsis carnis licentiæ patrocinari videntur, in hoc libro recitari tantum, non adprobari, dicant. Alii isthæc omnia ita a Salomone adferri credunt, vt exponat, quid olim senserit, vanitatibus seculi adhuc sepultus. b) Alii tandem eum in eiusmodi effatis statuunt esse velut aliquem tumultuantis turbæ interpretem, qui ea per inquisitionem dicat, quæ fortassis per tentationem mens

impe-

imperita sentiat. c) Verum, quod pace doctissimorum viro-
rum dixerimus, aliud suadet istorum locorum coherencia, ali-
ud scriptoris Θεοπνεύτου scopus, in fine præfixus c. XII, 13, qui
quoties ad edendum ac bibendum inuitat, minime illud Sarda-
napali: *Edo, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*, inculcare
voluit, sed vt supra diximus § XIII. hominem pium, cuius ope-
ra Deo placent c. IX, 7. ab irritis & vanis curis ad piam animi
ferenitatem inter labores retinendam v. 10. exhortatur, (vide
infra §. xxx.) Id quod non recentiores tantum interpretes
probe obseruarunt, sed B. LVTHERVS d) quoque suo tem-
pore iam vidit. Atque hinc etiam diiudicandus est locus c. XI,
9. quem qui mitissime interpretantur, *ironice* dictum a Salomo-
ne putant; q. d. *Laxeris sane, o iuuenis, si ita lubet, sed æteris
licet animi tui vias &c. sed scito, olim tuorum operum ratio-
nem exactum iri: id quod B. LVTHERVS etiam ad h. l. se o-
lim credidisse fatetur; in sua autem expositione rectissime ad-
ferit, seruum hoc esse Salomonis consilium, iuuentuti suppe-
ditatum, quo illi non effrenem aliquam & lasciuientem, sed
licitam, & limitibus timoris Dei circumscriptam suadeat hila-
ritatem.*

a) Pertinent huc ex Iudæis ABR. BEN EZRA, qui e. c. ad c. IX, 7. com-
mentatur *זה רכור לב בני האדם* *Hæc est sermocinatio cordis filio-
rum hominum.* Ex Christianis MAT. FLACIVS, in *clauo script. part. II.*
p. 99. MICH. WALTHERVS, in *harmonia bibl. lib. I. §. 118.* SAL. GLAS-
SIVS, *philol. sacr. lib. III. tract. III. can. 50.* SIXTVS SEN. *biblioth. sanct. lib.*
VIII. her. VII. p. 83. ANT. FAIVS, in *comment.* HVG. GROTIIVS, in *pref.*
P. D. HVETIVS, *dem. euang. p. 245. seqq.* FRID. SPANHEMIVS, in *introd.*
ad bibl. eccl. V. T. p. 50. &c. &c.

b) Vide hanc sententiam apud AVG. PFEIFFERVM, in *thesauro hermen.*
p. 77. qui tamen eam reprobatur. Sed conf. ven. IO. WILH. ZIEROLDI
comment. ad c. III, 18.

c) In hunc sensum ab HVETIO loc. cit. adlogatur ex patribus GRE-
GORIVS M. *lib. IV. dialog. c. IV. λέξ ταραχάδης τὸν πᾶν ἀνεδέξατο*, *po-
puli tumultuantis suscepti sensum, cet.*

d) Ita ille in *comm. ad c. XII, 19.* *Hic locus est paullo obscurior, non tam
sua culpa, quam interpretum, qui se valde torquent: dum fere putant, Salo-
monem loqui sub persona impiorum, sed FRIGIDIVS EST, QVAM-
QVAM RECEPTVM.* Vide quæ infra §. XXVI, ad h. l. dicemus.

§. XXIII.

Quod ad *stilum* libri totumque dicendi genus attinet, habet illud, ut supra §. v. monuimus, quendam peculiarem habitum, & præter vocabula reliquis Scripturis ignorata, singulares etiam idiotismos, *a*) ac phrasin, a communi linguæ usu sæpenumero recedentem. Licet enim librum metri legibus adstrictum esse non credamus, quod, inuita synagoga, multi veterum pariter ac recentiorum credidere; *b*) ubique tamen animaduertere licet masculæ regiæ que alicuius eloquentiæ nervos, verba selecta, compositionem pluribus tropis solito picturatiorem, quæ LUTHERO nostro nescio quam aulicam elegantiam sonare viderur. Deinde concitatissimus adfectus toto in libro regnat, qui se subinde crebris & pungentibus interrogationibus, contentis exclamationibus, aliisque modis significantissime prodit, & in ipso libri limine c. 1. 2. veluti disiectis aggeribus vnda, erumpit. (vt Pf. 1, 1. & LXXIII, 1. cet.) Audias hic verba hominis, qui ex profunda meditatione, in qua summa rerum humanarum vanitas diuinitus ipsi detecta fuit, subito emergit, atque eandem aliis commonstrandi cupidissimus, pleno ore exclamat: *Vanitas vanitatum, inquit Coheleth; vanitas vanitatum: omnis vanitas!* Nimirum vehementissimus adfectus non solum ipsum verborum ordinem hic disturbat: *c*) verum etiam, quum rerum vanissimarum amor adeo altas in nobis radices egerit, ut non, nisi magna vi, illum nobis eripi pariamur, verba geminat, & postquam semel dixerat, *Vanitas vanitatum!* velut alicui reclamanti denuo occidit, *Vanitas vanitatum!* & iterum obgannenti voce multo concitatore respondet: *uniuersa sunt vanitas!* *d*) Atque idem ille adfectus, quem vanitatis fastidium excitarat, per totum librum diffunditur; vti illa toties repetita formula גם זה הבל *etiam hoc est vanitas!* abunde docet.

a) Vti illud חמת השמש c. 1, 3, 9, 13, 14, &c. רעות רוח c. 1, 14. e. 11, 11, 17, 26, &c. Conf. IAC. GVSSETH *commentarius ebr. lingua*, p. 553. O. 650, F.

b) Sic

b) Sic FRID. SPANHEMIVS, in *bist. Iobi* c. xvi. §. xi. *Quinque vulgo in veteri instrumento libri metrici, Iobus, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum*, quos *πεντάτευχος* dixit Damascenus de orthod. fide L. 4. c. 18. Vide & MICH. WALTHERI *offic. bibl.* p. 992. & IO. HEINR. HEIDEGGERI *enchir. bibl.* p. 20. 21. Doctissimus vir, IO. GOTTL. CARPZOVIVS, qui & ipse adfirmantium sententiæ accedit, in *introd. ad libr. can. V. T.* tom. II. p. 219. ita differit: *An ligatus hic & metro adstrictus occurrat sermo, an vero solutus, implicata perquam & anceps quaestio est. Stilum sane poeticum hic dari, qualis in reliquis usu venit libris metricis, nemo facile inficias ierit, qui hunc cum Iobo & Proverbiis librum contulerit, & singularem verborum delectum, sententiarum pondus, compositionem pluribus pictam figuris, affectus vehementes & concitatos, hemistichia certis numeris commensurata, abruptos saepe sermones, aliasque metricæ structuræ affectiones, paulo altius expendit. &c.*

c) Communiter enim dici debuisset: *Ecclesiastes dixit; Vanitas vanitatum &c.* Verum id, quo plenum erat ipsius pectus, primum facit eruptionem.

d) Pulchre de hoc exordio MESSIEVRS DE PORT ROYAL: *Il faloit être Salomon, c'est à dire un homme rempli de l'Esprit de Dieu, pour commencer un livre pour une manière si divine & si surprenante. Ces paroles ne sont pas seulement la pensée de ce Prince si éclairé; c'est comme une effusion de son coeur, qui s'écrit plutôt qu'il ne parle dans l'impuissance, ou il se trouve d'égalier par ses expressions la grande idée, qu'il a conçue du néant de toutes choses.*

§. XXIV.

Ceterum innumeræ vbiuis leguntur & audiuntur querelæ de difficili huius libri *obscuritate*, a) quæ tanta nonnullis visa est, ut de eo exactius intelligendo prorsus desperandum esse putarint. Equidem multis veri scopi ignoratio istas tenebras obfudit, in quibus, ceu Aegyptii olim in triduaana caligine, non libri, sed suo ipsorum vicio, oberrauerunt. Verum neque illud negari potest, quod vel optime intellecto Auctoris consilio, passim non nihil difficultatis restet, cuius causa, præter rerum tractatarum varietatem, citra dubium est concisa in hebræo textu & singularis nonnunquam dictio, ad quam accuratius cognoscendam non vulgaris adferenda est hebrææ linguæ peritia. Interim pius ac sedulus lector, implorato Dei auxilio, necessariisque adhibitis adminiculis, vberimum diligentiae suæ fructum reportabit, & quamvis non omnia vno quasi haustu percipiat, ex animo tamen fateri poterit, quod aliquis de obicuro auctore dixit: *Quantum intelligo, est præ-*

stantissimum; ideoque, quod non intelligo, tale esse credo. Habet ipsa etiam illa obscuritas suas utilitates, b) meditantisque studium cotis instar magis exacuit. Unde rectissime alicubi IO. CHRYSOSTOMVS: *ὁὐτε* inquit, *σαφὴ πάντα ἐστὶν, ἕα μὴ* *ἠαδουήσης, ἔτε δσαφὴ, ἕα μὴ ἀπορῶς.* Neque omnia perspicua sunt, ne socrdīe te dedas; neque obscura omnia, ne animum despondeas. Neque certe exigua inde elucet summi Numinis sapientia, qui, uti in *libro naturæ* nocturnas tenebras subinde iussit succedere solis ac diei splendori; ita in *scripturæ* etiam *libro* voluit, ut lux & subobscurior caligo, quæ tamen & ipsa suis sideribus illustris est, grata inter se vicissitudine permixtarentur. Immo vero necesse erat, ut in sacris paginis eiusmodi nostræ arrogantix claustra extarent, quæ indomitam humani intellectus ferociam intra officii terminos continerent. Tantum igitur abest, ut obscurior huius libri difficultas aut Spiritu sancto auctore indigna sit, aut quemquam ab eius lectione abstergere debeat, ut egregium potius & sapientiæ diuinæ argumentum, & ad submissam diuini luminis implorationem incitamentum complectatur.

a) vide præfat. IO. MERCERI & SEB. SCHMIDII ad comm. in Cohæ. Ierth. it. STEPH. GAUSSENI *dissert.* p. 39. seqq.

b) Quas strictim recensuimus in *institutionibus nostris hermeneuticis*, Ieronæ editis, *lib. 1. c. 11. p. 46. 47.*

§. XXV.

Verum uti ingenia fastu & supercilio tumida in rebus diuinis (humanas enim multo modestius tractant) indignissime grassari solent, damnare prompta, quæcumque non capiunt: ita hic etiam præstantissimus liber istam inclementiam expertus fuit. Multi enim, quum auctoris consilium & institutum prorsus ignorarent, & deinde verba aliqua deprehenderent, quæ, a reliquo orationis corpore auulsa, nescio quæ impia dogmata ipsis continere videbantur, generosius esse rati, Scripturam vellicare, quam suam fateri cœcitatem, librum Spiritui sancto prorsus abiudicandum censuerunt, egregii scilicet diuinæ gloriæ defensores. Inde igitur factum est,

vt

vt sanctissimus liber inter *Judeos* pariter & *Christianos* asperri-
 mis subinde *fatis* iactatus sit; quæ, quantum instituti ratio
 permittit, breuiter exponemus. Ac *Judei* quidem in TAL-
 MUDE fatentur, fuisse aliquando a maioribus suis deliberatum
 de libro Coheleth abscondendo. Duas hujus consilii ratio-
 nes adserunt. Primo quod verba eius tum inter se, a) tum
 cum aliis Scripturæ dictis b) aperte pugnare videantur. De-
 inde quod inuitent ad hæresin, h. e. Epicuri dogma, & nihil
 præter gaudia suadeant. Verum ipsosmet au lire lubet. Ita
 illi: c) כקשו חכמים לגנוב ספר קהלת מפני שדבריו סותרין זה את זה
 h. e. *Quæstauerunt sapientes subtrahere (ἀπορροῦν) li-*
brum Coheleth, eo, quod verba eius se mutuo destruerent. Et alibi: d)
 כקשו חכמים לגנוב ספר קהלת כי מצאו בו דברים שמטין
 לזר מינות: כל חכמתו של שלמה כך שאמר שמה בחור וגו'
Studuerunt sapientes librum Coheleth subtrahere; siquidem in-
uenerunt in eo verba, quæ ad hæresin homines inclinabant. Qu-
oniam enim sapientia Salomonis in eo consistit, quod dicat; Letare
inuenis &c. e) Varia sunt doctorum virorum de hoc Judæo-
 rum conatu iudicia. Sunt, qui tanquam facinus impium & in
 libri diuinitatem prorsus iniurium damnant. f) Sunt qui il-
 lud fabulam a Judæis confictam existimant. g) Sunt denique,
 qui Judæos excusatos cupiunt, eorumque de hoc libro disputa-
 tionem non ipsorum malitiæ in neganda librorum sanctorum
 auctoritate, sed cautæ prudentiæ in recipiendis libris canoni-
 cis, adscribunt. h) Hoc certum est, quod, quidquid alio loco
 Judæi fabulantur, mox ab isto imprudenti ausu destiterint, de
 diuina libri præstantia aliter persuasi. Vnde quum in Tr.
 SCABBATH facti fuissent, maiores quæsiuissent librum occultare,
 מפני מה לא גנזוהו? מפני שתחלתו וסופו דברי תורה;
 Quare vero non suppresserunt? Resp. *Quia*
initium & finis eius verba legis sunt. (vbi in תוספות additur;
 quanto magis igitur medium eius?) In altero autem loco MIDR.
 COHELETH statim adiiciunt: כיון שאמר ודע כי על כל אלה
 רביאך

: **יבואך האלהים כמשפט אמרו יפה אמר שלמה** Postquam vero Salomo addidit: (c. xi, 9.) & scito, quod propter hæc omnia Deus te in iudicium vocaturus sit, dixerunt: pulchre locutus est Salomo.

a) Quorum magnum catalogum ABR. BEN EZRA in comment. ad c. vii, 3. texit.

b) Sic in Midrasch. Cob. f. 114. Salomonem c. xi, 9. Mosi, Num, xv, 39. contradicere putant.

c) in tract. Schabbath, fol. 30, b. lin. 11.

d) in Midrasch Cobeletb, fol. 114. a.

e) Videatur etiam VAIKRA RABBA sect. xxviii, fol. 161. c. 2. MIDRASCH COHELETH f. 82. b. ABR. BEN EZRA ad c. vii, 3. R. MOS. MAIMONIDES in More Neucbin, lib. 11. c. 28. cer. De Talmudicorum litigio: num Cobeletb polluat manus, nec ne? h. e. num ineaute tractando profanari, aut alios polluere possit? videatur AVG. PFEIFFERI critica sacra, c. xiv. p. m. 357. sqq.

f) Sic HERM. von der HARDT in Sched. Iesu Ioiada Cobeletb p. 3. Vbi præterea docet, maxime se torquere infelices posteros, in his maiorum effatis palliandis.

g) Ita RICH. SIMONIVS in hist. crit. V. T. lib. 1. c. vii. p. 56.

h) Vide AVG. PFEIFFERI thesaur. hermeneut. p. 76. & IO. HEINR. HOTTINGERI thes. philol. p. 847.

§ XXVI.

Transimus nunc ad *Christianos*, inter quos omni fere tempore fuerunt, qui (pudor!) multo irreligiosius, quam ipsi Iudæi, librum hunc diuinitus suggestum habuere. Iam inter antiquos hæreticos, teste PHILASTRIO, hæresi cxxx, non defuerunt, qui illum velut luxuriæ patrocinantem reprobarent, eo quod nihil præter esum & potum cominender. Seculo quinto THEODORVS MOPSVESTANVS, Nestorii magister, vti omnium scriptorum Salomonæorum, ita Ecclesiastæ etiam diuinam auctoritatem laceßiuisse dicitur. a) Ingressibus deinde barbariei tenebris requieuit paullisper vexatus liber, atque cum reliquis Scripturis situ ac puluere sepultus iacuit. Seculo supra decimum tertio GREGORIVS ABVLPHARRAGIVS, patria Malatiensis, medicus arte, & quod Muhammedani vix credunt, professione Christianus, in historia Dynastiarum,

ftiarum, Arabice conscripta, denuo & librum & auctorem inuasit; ita tamen, vt reliquerit incertum, vtrum maiorem proteruiam, an historiarum ignoracionem in eo vellicando prodiderit? Salomonem enim EMPEDOCLES, Pythagoræi philosophi, quem Dauidis tempore floruisse fingit, opinionem de non futura resurrectione hausisse, & huic libro commississe scribit; b) quod male sanum iudicium ex male intellecta Salomonis mente profectum esse, BARTHOL. HERBELOTIVS rectissime observat. c) Si ad sequentia secula progredimur, obfrepunt nobis ROB. BELLARMINI eiusque sodalium virulenti clamores, quibus beatum nostrum LVTHERVVM similiter in eorum classem referri impudenter postulant, qui Ecclesiasten ex librorum canonicorum numero eliminandum contenderunt. Si huius accusationis testes poscimus, producant nobis conuiciales beati viri sermones, librum diu post eius fata editum, & a Luthero nec visum vnquam, nec adprobatum, d) vbi (titulo LIX.) Auctor Ecclesiastæ ocreis & calcariibus destitutus in foccis equitare dicitur. Verum qui vel leuiter locum istum inspexerit, male illum a rhapsodo mutilatum intelliget, eaque, quæ Lutherus dixit, non in Ecclesiasten quadrare, sed ad Ecclesiasticum, a Siracide conscriptum, pertinere videbit. Quod quum dudum a IO. GERHARDO e) aliisque ostensum sit, alia contra producemus testimonia, quæ quanto in preterio vir beatus hunc librum habuerit, aperte docent. Nimirum f) post recensitas scholasticorum, hoc libro abutentium, doctrinas, *Breuius*, inquit, *nil nisi monstra nobis ex isto PVLCHERRIMO & VTILISSIMO LIBRO produxerunt, & plane ex AVRO DIVINO abominanda idola conflauerunt.* Ibidem vocat librum multis nominibus dignum, qui omnium manibus teratur. *Et mihi sane*, inquit, *plurimum voluptatis attulit vel modicus huius libelli gustus.* Vnde ex animo optat, vt prodeat aliquis abundantiori spiritu & felicitiori vena, qui librum pro dignitate explicet & exornet, ad laudem Dei & creaturarum suarum. Merito igitur beatum virum ex hoc

numero eximimus, atque in eius locum substituiimus HESKIN-
SIVM, hominem pontificium, qui quam abiecte senserit de
hoc libro, in sapientiam, ut putauit, præclarum illud Dei do-
num, iniurio, IO. GERHARDVS loco citato docet. Propius
ad nostrum æuum accessuri, offendimus Criticum aliquem
Bataunm, quem communis rumor IO. CLERICVM esse dicit g)
qui uti in reliquos Salomonis libros petulantissime inuehitur,
& sacrum eius *Canticum* ut profanum aliquod idyllion tractat,
in *Proverbiis* vero ea contineri ait, quæ mulierculæ & rustici
vbiuis norunt: ita etiam in libro *Cobelesb* nihil se diuini depre-
hendere dicit, neque probabile putat, Spiritum sanctum vo-
luisse ratiocinia & argumenta Sadducæorum prolixè exponere,
ut non nisi duobus tribusue verbis refelleret. Ista nimirum
fuit eiusmodi hominum iudicia, qui nihil nisi diuina proter-
uo dente arrodere docti, dum ostendere vultunt, se ultra ho-
minum vulgus sapere, suam produnt impietatem. Atque vti-
tinam non eadem adhuc fata nobilissimus liber ab arrogantibus
ingeniis h) quotidie experiretur, quæ ex verbi diuini contem-
tu gloriolam captant, in turpem olim ignominiam a DEO vine-
dice conuertendam.

a) Dicitur nimirum docuisse: Solomonem proverbia sua & ecclesiasten ex
sua (saltem persona, ad aliorum utilitatem composuisse: non ex proprie ac-
cepta gratia, sed saltem ex aduentia humana. Quæ senter in concilio v.
Constantinopolitano, post eius mortem habito, collat. 17. damnata fuit.
Conf. tamen quæ de episcopo illo adnotauit ven. CHRIST. EBERHARD.
VVEISMANNVS, in *bist. eccl. N. T. tom. 1. p. 374.*

b) Vide verba eius in lat. vers. ED. POKORII p. 39. *Tempore, inquit,
Davidis fuit Empedocles sapiens, vnus ex quinque columnis philosophiæ. Scri-
psit ille librum ad refuzandam resurrectionem spiritualem, multo magis corpo-
ralem. Secutus est sententiam eius Salomo, filius Davidis, libro suo, in quo se-
ipsum vocat Cobelesb, id est, congregatorem, in quo imitatus est scilicet Dab-
ritarum. Satis inepte!*

c) in *bibliotheca orientali*, gallice scripta, pag. 314-319.

d) cf. GVIL. SALDENVS, in *oriss theolog. pag. 439. fm. & reu*, IO.
GOTTL. CARPZOVIVS *loc. cit. pag. 229.*

e) in *exeg. s. loci de Scriptura* p. 196.

f) *tom. III. elen. lat. f. 231. a.*

g) in *iudiciis theologorum quorundam Batavorum id Rich. Simonis bist.*
crit.

erit. *ver. test. epist.* XII. quem egregie refutauit HERM. VVITSIVS, in *miscell. sacr. tom. I. p. 213. 226.* & beatus IO. HENR. MAIVS, in *diff. de scriptura sacra, diff. I. §. xxiv. p. 41.*

b) Quibus merito accensetur ANTONIVS COLLINVS, anglus, qui in libro: *discours sur la liberté de penser* Salomonem refert in censum libere cogitantium, h. e. atheorum, quod in Coheleth mundi æternitatem adferat, & ex aduerso vitam æternam, atque animæ immortalitatem in dubium vocet; notatus propterea a ven. IO. FRANC. BVDEO, in *thes. de atheismo, c. x. §. v. p. II.* & CARPZOVIO, in *introd. p. 228.*

§. XXVII.

Superuacaneum putamus, diuinam & canonicam huius libri auctoritatem contra hos ac similes eius oppugnatores adferere. Habet ille non solum in omni antiquitate copiosissimos testes, a) quorum summus consensus maioris, procul dubio, ponderis est, quam nonnullorum hominum superbe stolidorum cauillatio; verum ea etiam diuinæ suæ originis argumenta insita continet, quæ animo, veritatis amore ducto, facillime se adprobabunt. Quisquis ea, quæ supra de scopo & argumento libri disputauimus, æqua animi lance perpendit, omnia hic Deo quam maxime digna esse fatebitur. Ille videlicet in summo rerum fastigio, tanquam supremus omnium Dominus, collocatur; homini vero tanti Numinis submississima reuerentia & sacer tremor imperatur, viaque plana ostenditur, quomodo ex profunda miseræ vanitatumque abyssu ad operatissimam eius societatem emergere, inque ea, solutus pallidis curis, tranquille & hilariter miseram vitam transigere debeat. Qui certe huius libri character & reliquis Scripturis Θεοπνεύσις ex asse consonus, & ita comparatus est, ut vel inuitum animum in eius venerationem rapiat. b)

a) vid. e. c. FLAV. IOSEPHVS *lib. I. contra Appionem p. 1036. Ed. Lips.* EVSEBIUS *hist. eccl. lib. IV. c. 26.* AVGVSTINVS, *de ciuit. Dei lib. XX. c. 3.* HIERONYMVS, in *prologo galeato.* & conf. PETRI DAN. HVETII *dem. suang. p. 244. sqq.* ubi huius libri antiquitatem prolixè ostendit, multaque inde in gentilibus libros dimanasse probat.

b) Est hic liber, ut alii plures, in N. T. diserte non allegatur, videtur tamen Christus, doctor Salomone maior, & eius Apostoli, nonnunquam huc alludere & ad eum, tanquam idoneum fidei ac pietatis principium, digitum intem-

intendere. cf. c. c. Ioh. III, 8. Coh. XI, 5. Ioh. IX, 4. Coh. IX, 10. Matth. VI, 34. Coh. VII, 14. Matth. XII, 36. Coh. V, 1. Rom. II, 6. sqq. 1 Cor. IV, 5. 2 Cor. V, 10. Coh. XII, 14. Rom. VIII, 20. Coh. I, 2. 8. Rom. XII, 3. Coh. VII, 16. Rom. XII, 5. Coh. X, 10. Rom. XIV, 17. Coh. V, 19. 2 Cor. VII, 10. II. Coh. VII, 3. 2 Cor. IX, 9. 10. Coh. X, 1. 2. 1 Tim. I, 5. Coh. XII, 13. 1 Tim. VI, 7. Coh. V, 14. 1 Ioh. I, 8. Coh. VII, 20. &c. Addimus quæ ea de re egregie etiam obseruauit reuer. IO. GOTTL. CARPZOVIUS, in *introduc. ad libros can. V. T.* tom. XI, p. 221. *Quam omnium seculorum sapientes intensissimo licet studio frustra inquisuerunt, veram hominis in hac vita beatitudinem, viamque illuc ducentem, adeo perspicue, copiose & plane hic liber pandit, ut, quod non nisi Deo doctore discitur, summum bonum in apertio hic positum deprehendas. Quam seculi abnegationem Christus sicutatoribus suis adeo seuerè iniungit, minutatim & per partes ob oculos ponit ecclesiastes, mentemque a terrenis omnibus auulsam, Deo auctori suo reddit. Insignia porro monita, omnem hominum sapientiam & captum longe supergressa, tum & occulta Dei iudicia, intellectus omni imperuestigabilia, intimata, diuinam adeo manifesto spirant originem, ut nisi ex suggestione Spiritus S. proficisci ab homine nunquam poterint.*

§. XXII.

Quo grauius & inexcusabilius illi peccant, qui libro tam sancto atque diuinitus suppeditato innumeris modis turpissime abutuntur. *Sunt enim, utinam pauci!* (repetimus iustas querelas SEB. CASTALIONIS ad c. 2.) *qui non librorum finem & scopum spectant? sed vnum aliquem locum nacti, qui cum ipsorum libidine facere videatur, eum arripiunt, & eo suæ atrocitantur licentiæ; perinde ac si talem habituri sint iudicem Deum, quales sunt ipsi de se iudices.* Profecto tam varius tamque multiplex est huius libri non recte intellecti abusus, ut eius historia peculiarem librum postularet. Conuersus enim ille pro dolor! est quasi in publicum aliquod armamentarium, ex quo homines *ἀναθεῖς καὶ ἀσθενεῖς* (2 Petr. III, 16.) arma sua depro-munt, tum ad oppugnandam veritatem, tum ad discipulæ repagula omnia perrumpenda. Qua quidem in re nonnulli furiosius & aperto Marte; alii paullo moderatius, sed ætutius, & velut per cuniculos; omnes vero imprudentissime & improbe agunt. Inter eos, qui crassissime libro abutuntur ad principem aliquam Christianæ religionis veritatem debellandam, merito referimus eos, qui ex male percepto sensu istum verborum, quæ c. III, 18. sqq. continentur, *resurrectionis certitudi-*

tudinem aut subruere, aut saltem labefactare student. Enimvero, inquit, videtis, quam ambigue Scriptura loquatur? An hominis halitus sursum an deorsum feratur, ipsa dubitat. Lubrica omnia! perplexa omnia! nec certum relinquitur, ecquidnam credere debeamus? Verum isti iniquissimi homines, qui sacras Scripturas, quas pedibus alias terunt, tum demum allegant, ubi eas pestilentissimis suis opinionibus fauere credunt, facile viderent, alienissimum esse a Salomone istum, quem eius verbis intrudunt, sensum, si, non dicam totum librum, sed illud tantum comma perlegissent, quod verba ab ipsis male detorta proxime præcedit. Ibi enim quum fateatur Salomo, *futurum tempus, quo Deus iudicaturus sit omnia*, quid apertius est, quam quod aliam crediderit vitam, huic vite successuram, animasque piorum pariter & impiorum immortales, ut possint olim vel pœnis adfici, vel recte actorum præmiis ornari? coll. c. XII, 14. c. VIII, 11. Ecquis igitur sanæ mentis homo sibi persuadeat, fore, ut Spiritus sanctus eandem veritatem vno velut halitu & stabiliat & labefactet? Ut nihil dicamus de aliis huius libri effatis, quæ pessimæ isti opinioni, quam ex hoc loco exsculpunt, e diametro repugnant: imprimis quum c. XII, 7, dicitur: *Puluis*, h. e. corpus ex puluere primo conditum, *reuerietur ad terram; spiritus vero immortalis redibit ad Deum, qui dedit ipsum*. Istius igitur loci clarissima luce nostri loci tenebræ illustrandæ sunt; ut, quemadmodum rectissime monuit A. G. V. S. T. I. N. V. S., a) *obscuriora ex clarioribus explicentur*. Nimirum, ut omnia breui paraphrasi, b) ex SEB. SCHMIDII & MART. GEIERI commentariis conflata, complectamur, hunc esse putamus verborum oppugnationum genuinum sensum. v. 18. *Videmus, homini coningere idem, quod bestiae. Quid igitur? Annullam inter virosque discrimen datur? Ego quidem sic apud me de ista hominum cum bestiis similitudine statuo, Deum istud sapientissime permisisse, ut erudiret talibus homines, magna plerumque suæ felicitatis opinione occæcatos, ut ipsi animaduertent ac sentirent suam corruptionem per peccatum miserissimam;*

qua factum, ut ipsi, sibi met ipsis relicti, non aliter viuant, quam bestie, eoque nonnunquam procedant impietatis, ut se per omnia ipsi similes reputent. v. 19. In eam vero cogitationem inde perueniunt, quod eosdem casus & hominibus & bestiis accidere obseruant. Sicut bruta morti obnoxia sunt, ita & homo eam experitur: idque sic, ut videatur quoque vnus idemque esse virisque spiritus, & quod nulla in re homo bestias antecellat; siquidem eadem omnibus infelicitas & vanitas. v. 20. Vtrumque enim, secundum peruersum carnis iudicium, totum abire videtur in locum vnum, ad terram nimirum, ex qua omnia facta sunt v. 21. Quotus quisque vero est, qui fidei oculis instructus peruideat & recte estimet ingens illud discrimen, quod est inter spiritum animamue hominis, que sursum ascendit ad suum iudicem, rationem vite in terris acta redditura, & inter animas iumentorum, quæ cum terrestribus corporibus simul aboleantur? Proteruos igitur homines! dum eum, qui aduersus ipsos causam dicere debebat, venire faciunt aduocatum, & verba, quæ adeo illustre testimonium de animæ immortalitate continent, c) ad palliandos errores suos non erubescunt allegare. Quam crasse porro olim theologastri locè cap. ix, 1. abusi sint, atque ex eo miserrimis animis perpetuam de diuina gratia dubitationem inculcarint, testis est VT HE RVSD) & Pontificiorum libri hodiernum docent. Verum quum ille abusus sola vulgata versione nitatur, nolimus esse in eo refutando copiosiores, Quisquis enim hebræum textum inspexerit, facile animaduertit, hoc Salomonem dicere: Incessisse animum suum cupidinem sciendi, qui fiat, ut, quum homines probi eorumque opera in manu Dei sint, atque ab eo adprobentur, nihilominus tamen externa hominum fors tam sit promiscua, ut ex rebus prosperis & aduersis nemo queat certo cognoscere, vtrum alter a Deo ametur, an habeatur odio; quandoquidem pro vtroque prompta sint argumenta. Ita facile præcluditur quæsitum in hoc loco perniciosæ doctrinæ refugium. e)

a) de doctrina christi. lib. II, c. IX.

- b) Vberiorum singulorum commatum explicationem dedimus in *adnotat. vberioribus ad bagiographia*, tom. II. p. 385 *segg.* Adde AVG. PFEIFFER-RI *dubia vexata* p. 657. & PHIL. IAC. SPENERI *gevekkete Sprüche* p. 64.
- c) Vnde olim MICH. COBABVS dissertationi, quam de his verbis Ro-koehii, 1683, habuit, titulum inscripsit: *Arbeus proprio gladio iugulatus.*
- d) tom. II. *len. lat.* f. 230.
- e) Conf. etiam VVOLEFG. FRANZII tract. *de interpret. can. cv.* p. 633. AVG. PFEIFFERI *dubia vex.* p. 664. & *adnotat. nostras vberiores, loc. cit.* p. 978.

§. XXIX.

Supereft alius abusus libri theoreticus, paulo recensitis subtilior, qui veritatem non ita quidem furiose, attamen tamen lædit. Sunt nimirum, qui dum pietatem & sapientiam, æque ac voluptates, honores, diuitias, vanitatibus accensendam adferunt, ad Salomonis Ecclesiasten prouocant; quippe vbi opera piorum nunquam e vanitatum catalogo eximantur. Verum enim vero nimium nobis ista adferio in rei Christianæ dignitatem iniuria videtur. Licet enim libentissime concedamus, dari etiam vanum Dei cultum Iac. I, 27. spem inanem, vanas preces Coh. v, I. 2. fucata[m] virtutem, vanam & inutilem sapientiam: illud tamen absit vt largiamur, quod omne pietatis genus. nullo habito rerum discrimine, vanitati sit adscribendum. Quod eisdem fidei, Christum mediatorem amplexanti, dicimus nunc honorem habere, vt per eam salutem æternam consequamur. Vnde non vana solum, sed impia etiam sunt eorum opera, qui vitam immortalem istis cupiunt mereri. Verum propterea piorum, quantumlibet imperfecta, opera, ex fide profecta, & *iv Deo eieyavoueva* Ioh. III, 21, non vana & peritura putanda sunt, coll. 2 Paral. xv, 7. I. Cor. xv, 48. Ebr. vi, 10. Apoc. xxii, 12. siquidem vel ipso Salomone teste c. ix, I, in manu Dei adferuantur, eosque in beatam sequuntur æternitatem, Apoc. xiv, 13. Quid? quod illi ipsi, qui sinceram pietatem veramque sapientiam vanitatis a Salomone accusari dicunt, procul dubio *opus Dei* hac sorte eximent (Coh. III, 14. 15.) Num vero Christianam pietatem opus virium humanarum esse censent? Cogitent igitur, Salomonem in hoc libro

libro de alio regno loqui, & illa tantum, quæ *sub sole a*) sunt, vanitati subiicere; in quorum vero ambitu vera pietas & locuples bonis operibus fides non nascitur; sed sua cælo incunabula debet, ac proinde ex rerum etiam vanarum indice expurganda est. In CHRISTI enim regno *al*) *Dei*, Eph. iv, 21.

a) Egregie LVTHERVS in *comm. ad c. 1, 3.* Totum vanitatis regnum eiusque locum descripturus, adpellat *negotium sub sole*; vt per hoc excludat opera diuina, quæ Deus ipse extra nos, vel in nobis operatur, & nos operari iussit, quæ potius sunt supra solem, & extra hominum studia.

§. XXX.

Multo vero solemnior est ista huius libri abusio, qua homines, qui in Scripturis vitorum suorum non medelam, sed patrocinium quærent, quamplurima istius loca ad excusandam ornandamque impietatem modo crassius, modo subtilius detorquent. Ecquid enim quæso vstitatus, quam veluti homines profani, diuitisque helluonis æmuli, quorum quodam tesseræ est: *Edamus & bibamus; cras enim morimur* I Cor. xv, 32. vbi de hac vitæ suæ *ασωτία* monentur, Salomonem suæ luxuriæ patronum & adprobatores aduocent, qui *Agedum*, inquit, *comede cum lætitia cibum tuum, & bibe animo hilari vinum* &c. c. ix, 7. & alibi passim. Quæ malitiosa cauillatio quantam Salomoni iniuriam faciat, satis quidem ex iis, quæ supra §. xv. & xviii. de *obiecto* libri personali, eiusque *scopo* disseruimus, patere potest; at tamen vt omne elabendi effugium prorsus obstruatur, sequentia insuper monemus. I. Salomo ipse vanum mundi gaudium feruissime damnat, illudque *insanix* arguit c. ii, 2. c. vii, 4. contraque reuerentiam Numinis, profanæ effusæque lætitiæ frenum, summo vbique studio commendat. II. Loquitur de ea hilaritate, quæ 1) Dei donum & 2) cum honesto labore coniuncta est c. ii, 24. 25. c. iii, 13. 2. c. v, 18. &c. quod minime in eos quadrat, qui se totos voluptatibus & vitæ dissolutæ permittunt. III. Si igitur edendi & bibendi hilarem usum præscribit, partim auaros Eucliones, in corpus suum iniurios, vellicat, vt, omisso plu-

ra

ra corradendi studio, præsentibus *µστ' ἀνταγισίας* fruuntur, vide c. II, 24. coll. v. 22. 23. c. v, 17. coll. v. 9. 16. partim homines pios, qui labore & officio, diuinitus ipsis demandato, sedulo funguntur, sapienter instruit, vt laboris sui exiguos nunquam successus diuinæ providentiæ commendent, animoque inter res aduersas alacri & erecto qualibuscumque Dei bonis pie & hilariter fruuntur, ne inuilibus & edacibus curis vitam per se miseram sibi reddant amariorem. Adeoque ista Salomonis de edendo lætandoque præcepta reconditam aliquam sapientiam & virtutem sapiunt, atque cum Seruatoris nostri & Apostolorum tum exemplo Matth. XI, 19. Act. II, 46. Phil. IV, 11. 12. tum doctrina Matth. VI, 34. Phil. IV, 4. I. Thess. V, 16. I. Petr. V, 7. Ebr. XIII, 5. &c. sanctissime conspirant. a) Ceterum ex his, quæ modo diximus, facilius erit diiudicare, quid de loco Coh. III, 4. *עַתָּה רִקוּרָה* *tempus est saltandi*, sentiendum sit, qui plerumque velut classicus aliquis testis ad probandam chorearum licentiam ab harum rerum defensoribus adfertur. Opinantur enim, vitæ præcepta de *ἐὐναίελα* in rebus omnibus obseruanda loco citato præscribi; ita vt doceamur, licere e. g. amplexari v. 5. amoribusque v. 8. & saltationibus v. 4. indulgere, si modo *suo tempore*, & quod addunt, intra mediocritatis terminos id fiat. Nimirum non vident, ea in illo vitæ, vt putant, regularum catalogo recenserent, quæ posita sunt extra humani arbitrii delectum, & in quibus proinde nullus est præceptis de tempore aucupando locus. Quid enim? num Salomo docere potest, vt si quidem aliquid *perdere* velimus v. 6. istud *ἐὐναίελας* & suo tempore perdamus? aut num *in nascendo & moriendo* v. 2. tempestiuitatem homini obseruare licet? Aliud longe Salomonis in isthoc loco institutum est; scilicet, vt I. doceat, fluxa suisq; horis ac limitibus circumscripta esse humana omnia, & perpetuis exposita vicissitudinibus; adeoque summum bonum in iis neutquam inueniri. b) Deinde vt II. ostendat, omnibus rebus a sapientissima & liberrima Dei gubernatione certum existendi durandique tempus esse constitutum, in quo vel accelerando, vel repellendo vana sit hominis industria,

H

coll.

coll. v. 9. 14. vnde ad Deum omnino ipsi recurrendum esse, nisi in vanum velit laborare. c) Quum igitur dicit, *tempus est plangendi, & tempus est exultandi*, vi emphaseos verborum sibi oppositorum hoc dicit: *Ea est rerum humanarum vicissitudo, ut iam tempus ingruat, quo homo amare plangere, interiorumque animi dolorem pectoris & membrorum concussionem, d) aliisque gestibus significare cogitur; nec illud vlla arte mutare potest, donec Deus letiora illi tempora concedat, ubi gaudere & totius corporis exultatione animi hilaritatem testari licet.* Ita in hoc loco de vanis & ludicris illis choreis altum est silentium. Ecquis enim non intelligit, istam præ gaudio exultationem, de qua hic Salomo loquitur, sine saltatoria illa leuitate, quæ in hodiernis choreis regnat, quæque paganum magis, quam christianum hominem decet, commodissime fieri & posse & solere?

a) Conf hæc fusius deducta in diss. nostra de Salomonis ad esum potumque adurbationibus, quas libro Cobeletb interpersit.

b) IO. BEN. CARPZOVIUS, in theol. exeget. p. 54. Plerique interpretæ locutiones istas c. 3. *ridere, saltare &c.* parænetice sumunt, sed minus recte. Afferit enim ibi Salomo, hæc non esse media illa, quibus verum summum bonum acquiri possit.

c) Vid LVTHERI & SEB. SCHMIDII comment. ad b. l. & adnotat. notas vberiores, p. 375. seq.

d) Vid. MART. GEIER, de luctu Hebræorum, c. xvi.

§. XXXI.

Sunt vero & alii paullo honestiores, qui quidem ab eiusmodi crasis abusibus libri abhorrent, verum aliud quidpiam in eo inveniunt, quo tanquam clypeo omnes de serio pietatis studio exhortationes a pectore suo depellunt, acerrimeque conqueruntur, plus ab ipsis exigi, quam Scriptura permittat, quippe quæ Coh. vii, 16. diligenter cauendum moneat, ne *nimis iusti* simus. At enimvero isti iustitiæ & pietatis naturam parum perspiciunt, quæ, quum totum hominem eiusque vires omnes requirat, profecto Aristotelicam mediocritatem minime omnium admittit. a) Hæc vero est mens, hæc sententia Salomonis. Dixerat v. 15. se vidisse iustum, qui nimia sua pietatis, fata meliora promerita, persuasionem inflatus perierit;

erit; quum alius contra, impius quidem, sed diuinis iudiciis sese submittens, longius vitæ ac pœnitentiæ spatium impetrarit. Exinde v. 16. hoc monicum format: *Ne igitur nimiam tibi iustitiam arroges, atque eius opinione tumidus in aduersis contra Deum & homines insolenter te geras; neque nimium in tua sapientia confidas* (Rom. xii. 3.) ita vt Deo præscribas, quo te modo tractare, mundumque regere debeat. *Quare enim sciens ac volens tibi exitium attrahes?* v. 17. *Nec vero propterea, quod dixi, impium nonnunquam vitam proerabere, vitium te petulanter immergas, stultisque opinionibus te abripi patiare; ne Deus, tua malitia irritatus, præmatura morte te exinguat.* v. 18. *Timor vero Dei & extremum virumque, & viriusque extremi pœnas te prudenter euitare docebit.* b) Non minus vero huius libri argumentum in fraudem malitiamque conuertitur, quum piis animis, quorum conscientiam tetigit diuina manus, vt sua peccata lugeant, ex hoc libro gaudendi præcepta ab hominibus vanis occinuntur. Quibus moleste sedulis monitoribus maiori fortassis iure illud occini posset: *Tu si hic esses, aliter sentiret.* Nonne vero idem Salomo, qui pie lætandum esse dixit, illam tristitiam, qua animus emendatur, vanis mundi gaudiis longe anteponendam esse c. vii. 2. sqq. adfirmavit? Sed de hoc etiam satis. Restat enim alius peruerse hoc libro vtendi modus, qui parum abest, quin sanctus haberi velit, adeo animos etiam, cetera non pessimos, sua specie decepit. Audiemus eum a B. LVTHERO & recitari & refutari. Ita ille c) *Non minus nocuerunt hoc libro false intellecto plurimi sanctorum Patrum & illustrium in ecclesia doctorum, qui senserunt, Salomonem hoc libro docere contemptum mundi, vt vocant, h. e. rerum creatarum & ordinararum a Deo. Inter quos est S. Hieronymus, qui hoc libro suam Blesillam ad monasticen inuitauit, edito commentario. Hinc manauit & per totam ecclesiam grassata est, ceu diluuium quoddam, theologia illa religionum & monasteriorum, vbi docebatur, hoc esse christianum, deserere œconomiam, politiam, imo ministeria episcopalia, seu verius apostolica, fugere in deserta.*

separare se a societate hominum: in mundo non posse seruire Deo. Quasi Salomo vanitatem adpeller coniugia, imperia, officia & verbi ministeria, quæ omnia mirifice hic laudat & dona Dei adpellat. Et quum Salomo ipsos homines, seu consilia eorum, vanitates esse doceat, ipsi inuertentes omnia, res ipsas vanas adpellant, & se suaque consilia solida esse opinantur, pulchre contraria Salomoni somniantes. Verum enim vero si omnes huius libri abusus percensere ac confutare vellemus, non hic finienda, sed incipienda esset nostra dissertatio. Quare memores, nos non commentarios, sed specimen academicum scribere, hic substimus, differendi finem facturi, si pauca adhuc de recto usu deque incomparabili nostri Ecclesiastæ præstantia addiderimus,

a) SEB. SCHMIDIUS in annot. ad h. l. **הרבה** excessum significat, qui in vera iustitia non est, sed in vitio & in imaginatione. conf. etiam B. SPENERI gerettete Sprüche, p. 74. 80. seqq.

b) rom. iii. ser. lat. f. 230. b. seq.

c) Si quis hunc locum cum MART. LVTHERO, AVG. PFEIFFERO in dub. vex. p. 661. seqq. aliisque, de nimio rigore iustitiæ politice, vt LVTHERVS vocat, intelligere velit, ita vt per nimis iustum intelligatur iudex aut paterfamilias, nimius iustitiæ exactor, qui omnia accuratissime ad amussim exigit; per nimis vero impium talis, qui negligit omnem gubernationem a Deo sibi demandatam, & cuncta sinit rueri in peius: non quidem raultum repugnabimus. Nostra tamen sententia contextui videtur accommodatior. Conf. etiam clar. BENED. GOTTL. CLAVSEVVIZII diss. Lipsiæ 1721, habitam, cui titulus; *Nimium iustitiæ & improbitatis Salomonis.*

§. XXXII.

Ille nimirum rectissime vitur libro, qui nihil a reliquo nexu fegregat, aut carptim diuellit; sed totum librum inter secreta suspiria perlegit, velut missam ab amico epistolam, qua a mundi vanitatibus ad veritatem Dei que commercium auocatur: ante omnia vero expressum in sine scopum perpetuo intentis oculis contemplatur, ad eius amussim quæcumque fecus sonantia exacturus. Ita omnes scrupuli, contra libri argumentum imprudenter moti, sensim ex animo euanescent; & quamuis non omnium statim phrasium sæpe singularis ratio perspici queat, tot tamen diuinitatis radii admirabundos lecto-

lectoris oculos praestringent, ut non possit non sancta librum reuerentia amplecti, eiusque argumentum, ex scopo suo affirmatum, *πιδως αποδεχης αξιον* reputare. Obseruabit enim in eo aliquid prorsus eximii, quo ab aliis Scripturae libris, velut stella peculiari splendore, distinguitur. Praeter enim egregias illas utilitates, quas cum aliis Scripturarum sacrarum libris communes habet, (2 Tim. iii, 16. 17.) peculiariter diuina prouidentia eo consultum voluit piis animis, qui, grauibus huius vitae muneribus distenti, excruciantur creberrimis iniustitiis & confusionum spectaculis, & quum omnia tum in ecclesia, tum in politica & domo rectissime agi cupiant, contraque regnantem ubique impietatem videant, & ipsi aduersa quauis experiantur; siue anxiae sollicitudini se dedunt, in vitam ipsam saepe iniurii, siue manus remittunt, animumque penitus despondent. His roborandis liber maxima ex parte destinatus est, ut toleratis patienter aduersis fati pergant in laboribus suis, eorumque successus Deo, euentuum omnium auctori ac moderatori, tranquille committant. Quod quam necessarium sit christiano homini, in quibuscumque functionibus constituto, fati experientia testatur. Namque ut nihil de politica rerum administratione dicamus, ubi profecto, nisi aliquis Salomo erigat & confoletur, magistratus virum non ostendit, ut proverbio dicitur, sed obruit & extinguit; in ipsis etiam sacris muneribus tali opus est monitore. Quo quis enim auidius animarum, quibus praefectus est, salutem quaesierit, eo grauius dolebit, si non modo fidelissimis suis laboribus, ob sui coetus obstinatam malitiam, parum profecerit; verum etiam praeterea indignissime ab ingratis hominibus habeatur. Hic igitur si impatientiae adfectu abreptus omnia iracundo impetu agere incipiat, & quae spiritu mansuetudinis emendare non potest, amaris obiurgationibus, & animo, ad indignam undam asperitatem composito, obtinere nitatur; vel se ipsum breui tempore conficiet, vel pertusus molesti & infructuoli muneris, fractam & languescens manum ab omni labore sacro abstin-

nebit. Atque hæc impatientia, testibus ecclesiasticæ historiæ monumentis, tot in ecclesia secessionibus & schismata peperit, quod cœruium sacrorum præfecti sua ministeria ferre non poterant, ob hominum suorum ingratorum malitiam. Sapientissime igitur ad totius huius libri ductum *LVTHERVS. a)* *Cogitandum est, inquit, nos hic ut in naufragio aut incendio versari, ubi laborandum est, ut saltem torrem aliquem ex flammis eripias, ubi totum incendium cohibere vel extinguere non potes. Quare si es præco euangelii, sic prædices, non quod omnes possis lucrificare Christo (non enim omnes obediunt euangelio;) sed si tres aut quatuor animas, tanquam caudas vitonum fumigantium, Christo adduxeris & conuerteris, gratias age. Non enim ideo cessandum, quia tam pauci emendantur ad prædicationem euangelii: sed sicut CHRISTVS fecit eiusque Apostoli, ita & tu facias. Stultus es, si tu solus præsumas efficere omnia, aut contra,*

a) rom. iii. ten. lat. f. 264. b.

§. XXXIII.

Atque hic demum, necessariæ prolixitatis veniam precæti, ponimus calamum, nostrisque commilitonibus de meliore nota commendamus nostrum Ecclesiasten, doctorum viro-
rum *a)* adnotationibus satis illustratum; cuius saluberrimis monitis & nunc ad veram felicitatem erudiri, & publicis olim officii admoti, vix, ac ne vix quidem, carere poterunt. DEVS vero ter optimus hunc nostrum, qualemcumque laborem ad ipsius gloriam aliorumque vtilitatem amplissime iubete redundare. Sissat ille scepticarum opinionum diluuium, sui que verbi honorem, ringentibus vndecumque arrogantibus ingeniis, potentissime defendat, ac factum rectumque tueatur. Ipsi SOLI fit laus & honor, ac sapientiæ bonitatisque sempiternæ gloria, per innumerabiles seculorum myriadas.

AMEN.

a) Post Patrum, *HIERONYMI, GREGORII NYSSENI, GREGORII NAZIANZENI, OLYMPIODORI, OECUMENII,* aliorumque

EPISTOLA GRATVLATORIA.

rumque labores, ex nostræ ecclesiæ theologis, MARTINVS LVTHERVVS, PHIL. MELANCHTHON, IO. BRENTIVS, & ex recentioribus maxime MART. GEIERVS, SEB. SCHMIDIIVS, IO. WILH. ZIE-ROLDVS lucem huic libro adfuderunt; quibus & adnotationes nostræ vberiores in hagiographa, tom. II. p. 827-1041. addi possunt. Ex reformati cætus doctoribus eminent THOMAS CARTWRIGHT, anglus, IO. MERCERVS, ANTONIVS FAIVS, LVDOVICVS LAVATERVS, CONRADVS MEL, aliique. Ex pontificiis confertè potest CORNELIVS IANSENIIVS, IO. LORINVS, IO. de PINEDA, cet. Plures indicat reu. IO. GOTTL. CARPZOVIIVS, in introductione sæpius laudata, p. 235. seqq.

PEREXIMIO ATQVE ERVDITISSIMO
RESPONDENTI,
AVCTORI HVIVS DISSERTATIONIS,
PLVRIMAM IN CHRISTO IESV SALVTEM DICIT
PRAESES.



Vam nudius tertius mihi exhibuisti, tibi red-
do dissertationem de Salomonis Ecclesia-
ste; idque, vt vides, sine vlla notabili mu-
tatione: cum quod parum hic esset, in quo
tua a mea sententia differret, tum vt in soli-
dum tibi vindicares haud contemnendum sollertiae tuæ &
factorum profectuum specimen. Neque vero impro-
vide materiam disputationis selegisti, quæ tuum tantum
ingenium ac vires exerceret, aliosque tui ordinis ad simi-
lem diligentiam accenderet; sed quæ omnibus etiam le-
cturis vtilitate sua prodesset. Quid enim magis proficu-
um aut necessarium studiosæ iuuentuti est, quam vt sin-
guli

EPISTOLA GRATVLATORIA.

guli vanitatis suæ humanæ, cuius eheu! in academiis plerique immemores sunt, exitiosos labyrinthos vitare, & veræ felicitatis, quæ in vna coniunctione cum Deo, bonorum omnium fonte, consistit, viam recte cognoscere & ingredi discant? Quod vtrumque quum sapientissimus olim rex in Ecclesiaste suo non vulgariter, sed diuina prorsus ratione, & ex ipsa sua experientia doceat: nihil sane est, quod sapientiæ studiosis, quales saltem omnes sese in academiis profitentur, magis commendari mereatur. Salomonis enim ductum qui sequuti fuerint, illico abiectis fœdis erroribus, vera humilique fide ad DEVM sese recipient, eumque in Christo toto pectore complexi, mox sibi propitium habebunt, & iustitiam, pacem atque lætitiã in Spiritu sancto experientur. Tum vero per syrtes ac vanitates huius seculi ita transibunt, ne beata illa sua conditione iterum excidant, aut promissa piis futura & cælestia bona æternum amittant. Tibi vtique, DILECTISSIME RAMBACHI, non eam tantum scientiam, sed & mentem, benignissime a Patre luminum datam, ex animo gratulor: eamque vt ille tibi constanter conseruet, omnibusque similiter gratiose largiatur, id vero est, quod cum omni benedictione diuina ex animo precor & exopto. Dab. Hale d. vi. Iunii

CIO DCCC XVI.



00 A 6354
VD 18

ULB Halle 3
002 842 548



JK

VD 17

Reho ✓







DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA,
DE
LIBRO COHELETH,
SIVE
ECCLESIASTE
SALOMONIS,

39
QVAM,
ANNVENTE DEO,
IN REGIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO REGIAE DOMVS PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO CAROLO,
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDEN-
BVRGICO, ET RELIQA,
PRAESIDE
IO. HEINRICO MICHAELIS,
SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE ET SS. LL. PROF. P. O.
PRAECEPTORE AC HOSPITE SVO VENERANDO,
A. d. XXVI. IUNII MDCCCXVI.

Placido eruditorum examini submittet,
AVCTOR RESPONSVRVS
IO. IACOBVS Rambach/
Hala- Magdeburgicus,
SS. THEOL. ET PHILOL. CVLTOR,
hunc
VEN. ORD. THEOL. ADIVNCTVS.
EDITIO SECYND A AVCTOR.

HALAE MAGDEB. Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1726.

